



**EX
LIB
RIS**

EMILYAN DER VEKENE

EM
297

N. A. 345498

BC: 85-732

B. D.



IN VERITATE
LIBERABIMUR

UNIVERSIDAD SAN PABLO CEU
BIBLIOTECA
EMILE v.d. VEKENE

272(091)"17"(093)

273

Inquis. - E. V. - 132

MD

DISSERTATIO HISTORICO - THEOLOGICA
DE
INQUISITIONE

AD
EXSTIRPANDOS, QVOS VOCANT, HAERETICOS
IN ECCLESIA ROMANA INSTITVTA

QVAM
PRAESIDE
IOHANNES FRIDERICO
COTTA

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. ECCLES. TVBING.
DECANO ATQVE DVCALIS SEMINARII THEOLOG.
SVPERATTENDENTE

PVBLICE DEFENDET

DIE OCTOBR. A. MDCCLXVI

AVCTOR

M. IO. GOTTLIEB STEEB, *Nirtingensis,*

EXAMINIS THEOL. CANDIDATVS.

TVBINGAE
LITTERIS SCHRAMMIANIS.

DISSENTATIO THEOLOGICA

DE

INQUISITIONE

CAUSAE THEOLOGICAE

IN QUAE ROMANA UNIVERSITAS

CAUSAE

THEOLOGICAE

IOHANNIS FRIDERICI

GOTTA

IN THEOLOGICO SEMINARIO

Collection
Emile van der Vekene
Luxembourg

DECADE

ANNO

PARIS

THE

ACTOR

M. JO. GÖTTLIEB STEIB, Wirtinger

EXAMINIS THEOLOGICIS

TABINGAE

LITTERIS SEBASTIANI MÜLLERII



PRAEFATIO.



Systematica Romanorum Pontificum ambitio id sibi maxime propositum semper habuit, ut cum in *civilibus*, tum in *ecclesiasticis* summam sibi nanciscerentur potestatem. Politicum hunc finem ut obtinerent, multis usi sunt artibus ad superanda, quae ipsos impediabant, obstacula. Quod ad *civiles* res attinet & politicas, scimus, quantum in eas influxum nacti sint, & stupebunt sane futura adhuc secula iniustissimos HILDEBRANDI dictatus. Quod vero ad *ecclesiastica* spectat, contra ius non in ecclesias tantum omnes, sed ipsam quoque religionem ipsasque adeo conscientias imperium extendere conati sunt, & extirpare omnes, qui contra supremam ipsorum auctoritatem, & quas credi volebant, doctrinas senserunt. Hinc bella, excommunicationes, interdicta, regnorum privationes; hinc supplicia, rogi; hinc expeditiones, quas vocant, cruciatae; hinc tandem funestum illud *Inquisitionis* tribunal, Pontificiis vero sacrum, & praecipuus, iudice PAVLO IV a), Pontificatus nervus & arcanum, de quo brevem haec instituemus tractationem.

CAPVT

a) *Histoire du Concile de Trente* ex Editione Courayerii a. 1728. l. I.

CAPVT I.

DE ORIGINE ET PROGRESSV INQVIVITIONIS.

§. I.

Instituendae Sec. XIII. *inquisitionis*, cuius iam veram, missis nugis b), originem trademus, ansam praebuere Albigenfium & Waldenfium doctrinae, Pontificibus non uno nomine exofae. Statuebant hi homines verbis satis expressis, religionem, quam vulgus colebat, falsam esse, & Pontifices contra ius fasque summum sibi in christianos & religionem imperium arrogare. Sacram Scripturam vulgari lingua redditam legentes, purgatorium, Pontificis Romani primatum, imagines, meritum operum, indulgentias, vota sacerdotum, ordines monachorum, eorumque coelibatum reiiciebant, ecclesiam Romanam magnam illam meretricem appellabant, & clericorum vitia acro sale perfricabant. Doctrinae hae, (nec, ut falso statuunt BENIGNVS BOSSVETVS aliique, Manichaeismus, c) capitales ipsis fuerunt, & inquisitorum deinde furorem contra ipsos exstimularunt d).

§. 2.

b.) FRANCISCVS MACEDO, scriptor saeculi XVII. in Tomo XLVII. operum suorum, ubi schema sacrae congregationis romani officii exhibet, ejusmodi nugas proferre non erubescit. *On met*, inquit BAEIVS, *dans cet ouvrage la premiere institution de l'Inquisition dans le Paradis terrestre, & l'on prétend, que Dieu commença d'y faire la fonction d'Inquisiteur, & qu'il la continua hors du Paradis contre Cain, & contre ceux qui bâtirent la tour de Babel; & que St. Pierre agit en la même qualité contre Ananias & Saphira, & qu'il la transmit aux Papes, qui en investirent saint Dominique & ses Successeurs; vid. ejus dict. hist. & crit. sub hoc articulo. Easdem ineptias, quibus vocabulo Inquisitionis ludunt, legimus in libro, sacro Arsenale overo Pratica dell' officio della santa Inquisitione p. 13. & in LVD. a PARAMO libro de orig. Inq. L. I. Tit. II. vid. cel. ERNESTI Theol. Biblioth. Tom. II. p. 16.*

c) Fuerunt quidem eo tempore Manichaei ex Bulgaria oriundi & sub Albigenfium nomine latitantes; sed frustra veros Albigenfes hujus criminis accusant BOSSVETVS in *l'Histoire des variations des Eglises protestantes* & alii, furorem Inquisitorum contra eos hoc modo excusaturi. Egregie id demonstravit BASNAGIVS *Histor. Eccl. T. II. p. 1407--1412.*

d) Vid. MOSHEMIVS in *Hist. ecci. pag. 546.* & SPANHEMIVS in *Hist. Christ. 1657. sq.* & b. WEISMANNVS *Hist. Eccl. T. I. p. 1089. sq.*

§. 2.

Ut primum igitur contentiones cum Imperatoribus id permilerunt, extirpandos eos curarunt Pontifices, hac aetate de auctoritate sua tam extendenda quam defendenda imprimis solliciti. Curam extirpandorum eorum commiserunt primo episcopis, legitimis huc usque hac in re iudicibus. Qui cum aut per negligentiam, aut numeri paucitatem, aut principum protectionem, populivae favorem Pontificum voluntati non satisfacerent, aliis subsidiis utendum iudicavit, qui regnavit tum temporis, Pontifex INNOCENTIUS III, vir ad molienda quaevis imprimis aptus. Missis contra haereticos apostolicis legatis aliisque accessit, approbante Pontifice, DOMINICVS, ex hispanica *Gusmannorum* familia oriundus, canonicus regularis, homo non minus indoctus quam crudelis. Iussi erant Dominicis focique, contra haereticos ad populum orationes habere, ad extirpandos eos principes & populos excitare, ubique numerum & res haereticorum, Episcoporumque & catholicorum in opprimendis iis ardorem *inquirere*, & de omnibus his rebus Romanum Praesulem certiore reddere e). Ita nomen *Inquisitionis* ortum f).

§. 3.

Hac auctoritate & Montiliensis a. 1208; Lavauriensis a. 1213; Montispellulani a. 1214; Lateranensis IV. a. 1215; Bituricensis a. 1216, conciliorum, flammis & supplicia in haereticos decernentium, assensu & decretis muniti, DOMINICVS focique vehementer saevierunt in Gallia Narbonensi & imprimis Tholosae, urbe illa ob fufum iniuste sanguinem & olim & nostro tempore celebri. Adiuti

e) Vid. *Annales d'Espagne & de Portugal par DON. IVAN ALVAREZ de COLMENAR*, Tom. VII. p. 152.

f) Sunt, qui DOMINICVM Inquisitionem invenisse, primumque eum Inquisitorem fuisse, ajunt; sunt, qui negant. Si sub nomine *Inquisitoris* iudicem intelligis, a Pontifice constitutum ad cognoscendas haereticorum & haereseos suspectorum causas, sententias de illis dicendas, & pertinaces Magistratibus civilibus tradendos: certissime Inquisitor non fuit: tales enim iudices ante Gregorii IX tempora non exstiterunt. Si vero hominem tantum intelligis, auctoritate Pontificis legatum ad haereticos comprimendos & extirpandos, sine potestate tamen judiciali; DOMINICVM Inquisitorem fuisse, certissimum est. Vid. MOSHEMVS *Hist. eccl. pag. 548. not. e.*

exercitu, indulgentiis & praedae spe coacto, oppresserunt & terris spoliarunt Principes, Fautores & Protectores haereticorum, RAYMUNDOS imprimis comites, patrem g) & filium: saevierunt in urbes igne & destructionibus, in homines h) vero rogis, periuriis, laqueo, securi & gravissimis impositis poenitentiis i). Denique, ne cessantibus bellis hisce tumultuariis vires colligere possent haeretici, concilium Tholosanum a. 1429 & Pontifex GREGORIUS IX. a. 1233 constituendos curarunt *Inquisitores haereticae pravitatis* non Tholosae modo, sed & in omnibus urbibus, ubi Dominicani collegia habebant. Atque ab hoc tempore incipit *funestum inquisitionis tribunal*, quod, uti MOSHEMIUS observat k), hoc saeculo & sequentibus tantam haereticorum vim partim ad Ecclesiam reduxit, partim iudicibus comburendam tradidit.

§. 4.

Maximum etiam aliis in locis cepit incrementum *Inquisitorum* auctoritas, severissimis a FRIDERICO II. in haereticos latis legibus, quibus inquisitores sub suum speciale praesidium recepit, ideo sibi commissam credens imperialis regiminis curam, ut *materiali gladio vipereos perfidiae filios contra Dominum & ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores in iudicio & iustitia persequatur*. Notavit infamia, & morte per totum imperium plecti iussit damnatos ab *Inquisitoribus* haereticos, eorumque receptores & defensores. Privavit eos omni appellationis beneficio & testandi facultate: quin

g) Comiti huic, pessime a Pontificiis in vita habito, etiam post mortem denegata fuit sepultura, qua cadaver ejus adhucdum destitutum est. vid. BASNAGIUS l. c. pag. 1431.

h) Unum tantum afferam immanis ipsorum crudelitatis exemplum, quod CAESARIUS, Cisterciensis Monachus, & auctor contemporaneus refert. Capta Bitterrae urbe, agnoverunt cruce-signati, Catholicos esse haereticis permixtos, atque ambigentibus, quid agerent, respondit ARNOLDVS, Abbas Cisterciensis, *cedite, novit Dominus, qui sunt ejus*, atque ita milites passim in omnes grassati, & 7000 pontificii in ecclesia, ad quam se receperant, trucidati. Vid. LIMBORCHIVS loc. cit. pag. 43. & BASNAGIUS l. c. pag. 1433.

i) Vid. LIMBORCH. C. XI. sq. & BACKERI *Geschichte der Inquisition* pag. 8. sq.

k) Vid. MOSHEMIUM l. c. pag. 547. & 548.

quia & filios & haeredes eorum, nisi parentum aut consanguineorum *perfidiam* revelarint, quia *Deus Zelotes est, peccata Patrum in filios potenter ulciscens*, usque ad secundam generationem beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis & honoribus, imperiali auctoritate privavit: omnibus denique potestate quadam praeditis ante muneris susceptionem, ut iuramentum pro fidei defensione & haereticorum extinctione praestent, praecepit l).

§. 5.

Eodem circiter tempore Pontifices creandos curarunt Inquisitores in Arragonia, Gallia, Italia, licet nonnullis in locis non sine multis difficultatibus, motis partim ab ipsis, quibus multum derogabatur, Regibus, Principibus, & iudicibus secularibus; partim vero a populo de vita sua sollicito; adeo, ut cogerentur Pontifices religionis, ut solent, obtextu, & propositis maiorum exemplis Reges monere, & Dominicanorum furorem additis, qui mitiores erant, Francisci discipulis, Fratibus, quos vocant, minoribus, temperare m).

§. 6.

Mortuo FRIDERICO II. & subiecta Pontifici integra fere Italia, multis in locis feliciore progressu *Inquisitionis* tribunal, *Franciscanis & Dominicanis* n) commissum, introduxit, & maiore potestate

in-

l) Multas alias ejusmodi tum poenas tum convicia, Imperatore indigna, leges in quatuor ipsius contra haereticos edictis, quae adjuncta sunt EYMERICI *directorio Inquisitionis* & in LIMBORCHIO leguntur p. 48. sq.

m) Vid. LIMBORCHIVS P. I. c. XIII. XIV. sq.

n) Callidum omnino consilium Pontificis erat, tribunal hoc hominibus concedere, persequendae haeresi unice intentis. Eligendi erant homines, Romanae curiae, quantum fieri potuit, deditissimi; nullis aliis, quibus ab hoc avocari potuissent, muneribus fungentes; a negotiis rebusque temporalibus, ne utilitati locum dent, remoti; homines, quum erigendum esset crudelissimum tribunal, immites, aequae triplex circa pectus habentes. Tales iudicavit Pontifex Francisci & Dominici ordinis, haud ita pridem instituti, fideles. Tuebantur enim pontificum partes summo cum ardore; in solitudine constituti nec negotiis nec tempore impediabantur, quo minus sine remissione haereticos persequerentur; paupertatis, quam professi erant, votum, speciem pietatis animique a rebus mundanis alieni ipsis conciliabat; renunciantes paternae domui & nomini, quam maxime apti erant ad suffocandos consanguinitatis affectus & vilipendendas familiarum rationes; regulae ipso-

rum



instruxit, Pontifex INNOCENTIUS IV., ita quidem, ut Episcopos, aliqua ipsis concessa potestatis umbra, Inquisitoribus adfoeciaret, & Magistratibus concederet, ministros Inquisitionis, sed ab Inquisitoribus nominatos, constituere, quin & e suis aliquem, qui una cum Inquisitore ditionem ipsi commissam visitet, adiungere. Neque tamen Magistratus, uti nostro etiam tempore, nisi minister Inquisitionis fuit, cum denunciatus ab Inquisitoribus capere, in carcerem deducere & iurare Inquisitoribus deberet, se expulsurum e suis familiis, nec ad muneris functionem admissurum, quoscunque haereticos Inquisitio pronunciaverit; iurare porro, qui ex ordine eius Inquisitioni interessent, se omnia silentio pressuros o).

§. 7.

Sub finem Seculi XIII., & sequenti tempore in variis adhuc regnis introducta fuit Inquisitio, in *Castellae & Legionis regnis, Sardiniae, in Syria & Palaestina, Servia, Germania, Austria, Bohemia, Ungaria, Polonia, Dalmatia, Bosnia, Ragusa, Croatia, Istria, Walachia* & in aliis, in quibus Pontifici saevire licuit, locis, in quorum tamen nonnullis postea aut expulsa rursus est, aut obsolevit p)

§. 8.

Diu restiterunt *Veneti* Pontificibus, Inquisitionis tribunal, variis sensim privilegiis ornatum, Venetiis introducere conantibus, deterriti tumultibus & seditionibus ob Inquisitores passim motis, tum cruce-signatorum libidine, quem volebant, aut odio habebant, occidendi. Nec primum, nisi seculare institutum constituerunt, in quo ecclesiasticis solum de opinionibus iudicium erat permissum. Tandem vero urgente Papa, NICOLAO IV., a. 1289. introductum est tribunal hoc, ita vero, uti deinceps videbimus, ut potestas **ipfius**

rum severitas humanos erga proximum sensus diminuebat aut delebat; religionis zelo, ut solent esse ordines recens instituti, ardebant; denique ad extirpandos, qui eos detestabantur, haereticos propria moti utilitate erant. Non mireris igitur, tribunal hoc, ejusmodi hominibus concreditum, accedente Pontificum & Principum protectione, brevi tempore tam late serpsisse, & tanta auctoritatis & crudelitatis specimina edidisse.

o) COLMENAR. in *annalibus* supra citatis p. 165 - 170.

p) LIMBORCH. l. c. C. XVI.

ipfius valde limitaretur, idemque non curiae romanae, fed rei-publicae fubiiceretur q).

§. 9.

Inquifitio iam ante quidem, ut vidimus, in varia Hispaniae regna introducta fuit, fub FERDINANDO autem & ISABELLA a. 1483. & fequentibus annis in omnibus eius regnis erecta eft, primo quidem ad extirpandas eiektorum Maurorum & Iudaeorum reliquias, & puniendos a Chriftianifmo in errores fuos relabentes; deinde vero inprimis a PHILIPPO II. contra omnes a romana ecclefia diffidentes, commendante ipfi in Testamento fuo auctoritatem tribunalis huius perquam enixe patre CAROLO V. Cui obfequens Rex eam in *infulis fortunatis* adeo, & in *Americae urbibus, Mexicenfis & Limenfis, quin in ipfis navibus* instituendam curavit. Supremum Hispanicæ Inquifitionis tribunal in *urbe capitali* conftitutum eft, cui fubiecta funt alia minora, in urbibus, *Toleti, Conchæ, Vallifoleti, Callagurris, Hispali, Cordubæ, Granatæ, Ellerenæ, Valentia, Caefaraugustæ, & Barcinæ* conftituta r).

§. 10.

Quo præcife anno in Lufitaniam invecta fit Inquifitio, non admodum liquet. Seculo autem XVI. eam regnum hoc invafiffe certo conftat s). Summum Tribunal *Lisbonæ* erectum eft, alia *Evoaræ, Coimbræ*; in externis vero Regis terris *Goæ*.

§. 11.

Inquifitio licet Galliae natales fuos debeat, uti vidimus, fequenti tamen tempore, faepius ob negotiorum inopiam populivè odium collapfa, faepius reftaurata, tandem defuit, & poft ultimum conatum, a celeberrimo illo Galliae Cancellario MICHAELE DE L' HOSPITAL t) impeditum, ad noftrum ufque tempus non amplius admiffa fuit.

§. 12.

q) Vid. PAVLVVS SARPIVS in *Hift. dell' inquis.* pag. 38. - 56.

r) Vid. MARSOLIERII *Hiftoire du Miniftère du Cardinal XIMENEZ.* p. 181. - 212. LIMBORCH. l. c. p. 86. fq.

s) LIMB. l. c. p. 86.

t) Cum impedire eam alio modo non poffet, maluit feveriori, quam vellet, edicto contra Proteftantes affenfum præbere. vid. hac de re BAYLIVS in *Diff. Historico & critico* fub art. *Hospital.* & la *PLANCHE Hiftoire de*

§. 12.

Populus Neapolitanus, si quis unquam, ob blasphemiam inprimis & seditiones freno compescendus, omnium minime Inquisitionis admisit tribunal, frustra eam urgentibus Hispaniarum regibus FERDINANDO & CAROLO V. Neque enim seditionis hinc motae finem prius fecit v), quam Prorex, rei tandem ipse pertaesus, ab incepto desisteret. Faverunt populo ipsa Romanae curiae confilia, proregi hac in re contraria x)

Irritus

FRANÇOIS II. p. 361, ubi ita: *Quand il fut question d'expedier l'édit de l'inquisition d'Espagne, sachant (Hospital) que ceux du Conseil privé & des Parlemens l'avoient accordée, ce neantmoins il modera le tout par un édit exprès, & en rendit si vives raisons, que ceux de Guyse mêmes, qui l'avoient pourchassée, furent de son avis.*

v) Vid. THUANVS ad ann. MDXLVII. l. III. p. m. 51-53. Brevi ex Thuanos l. c. rem ita exhibet SALIGIVS in der vollstaendigen Historie des Tridentinischen Conciliums IV. Theil p. 612. *Der Neapolitanische Viceroy, Petrus Alvarez Toletanus, war ein hoffsartiger strenger Mann, der das Inquisitions-Gericht in Neapolis aufbrachte, unter dem Vorwand, die heimlichen und sich immer mehrenden Lutheraner auszurotten, in der That aber die Noblesse zu drücken, und an vieler, denen er nicht gut war, Leben und Güter zu kommen. Die Neapolitaner ließen zwar in soweit eine Inquisition wider die Kezer zu, wenn sie nach der alten Kirchenzucht vorgenommen würde. Da aber der Viceroy immer fortfahr, zu thun, was er wollte, murrete der Poebel, verfluchte die Inquisition, dem Kayser aber wünschte er alles Gutes, erwehlte sich obrigkeitliche Personen zum Schuz, bis es endlich zum Aufruhr kam, da bey 50000 Menschen im Gewehr waren. Der Viceroy war seines Lebens nicht mehr sicher, und mußte er endlich versprechen, die Inquisition abzuschaffen. Hierauf machte das Volk drey Tage Freudenfeuer. Bald griff Toletanus immer weiter, worauf der Lerm wieder angieng, und nachdem sich der Viceroy verstaerket, ward von den Castellen unter die Aufrührer geschossen, wobey von beiden Theilen über 300 Mann geblieben, welcher Tumult vom May bis zur Mitten des Junii gewaehret. Beide Partheien schikten ihre Deputirten nach Deutschland an den Kaiser, der von dem Viceroy vorher eingenommen vvar, aber dennoch die Inquisition aufhub, allen Aufrührern, bis auf 19, Pardon gab, und die Stadt mit 100000 Gülden bestrafte, die er aber auch nachliesse.*

x) Vid. PAVLVS SARPIVS in Conc. Trid. P. II. p. 638. & in Hist. dell. Inq. p. 42. *Cum Prorex hispanico tribunali subicere eam vellet, averfabantur Pontifex & Cardinales Inquisitionis tribunal Romano non subiectum, praefertim cum Pontifex non ecclesiasticam modo sed & secularem in regnum hoc potestatem exercet.*

Irritus eodem modo fuit PHILIPPI II. Hispaniae regis conatus, inquisitionem, antea ibi iam constitutam, *Mediolani* ad formam Hispanicae instituendi: deprecantibus eam civitatum legatis *gravibus rationibus* y) apud Pontificem & Concilium Tridentinum &, quo minus id fieret, nihil non tentantibus.

§. 13.

Inquisitionem in *Belgium* a. 1522. iam invecam esse, inter alia etiam binae ERASMI litterae docent z). Quae cum obsolesceret rursus, CAROLVS V. eam ad Hispanicae formam a. 1550. introducendam curavit, & severum edictum emisit. Verum cum res maximo urbibus, commercia tractantibus, damno futura fuisset, populusque seditionem moliretur, soror ipsius, quae Belgio praecerat, ad ipsum profecta, eo rem perduxit, ut Caesar aegre tandem assentiret, & mutatis iis, quae ad externos pertinebant negotiatores, nomen Inquisitionis omnibus invisum tolleret, caetera suo loco manere iuberet atque servari aa). Sensim, in indigenas etiam remissior facta est, & forsan plane extincta mansisset, nisi filius ipsius, PHILIPPVS II. eam rursus introduxisset. Tentavit id primum promulgato hanc in rem edicto, ministris suis, ut Inquisitores quocunque modo protegerent & haereticos extirparent, praecipiente. Verum cum hi ob nimis magnam haereticorum vim, quorum plures quam LM. comburendi fuissent, mandato Regis non satisfac-

y) *Les villes du Milanéz deputerent des Legats au Pape & au concile: ceux-ci pour prier les Cardinaux & les Prélats de cet Etat de prendre pitié de leur patrie commune, qui accablée déjà de charges excessives, succomberoit tout-à-fait sous celle de l'inquisition, qui étoit plus pesante que toutes les autres. Il leur representa: Qu'il y avoit déjà plusieurs personnes, qui songeoient à abandonner le país, parce qu'elles savoient bien que ce Tribunal n'avoit pas toujours eu en vue le bien des consciences, mais souvent la confiscation des biens ou d'autres intérêts mondains; & que si sous les yeux du Roy ceux qui étoient à la tête de cet office traitoient leurs propres compatriotes avec tant de severité, ils en useroient encore bien pis à Milan envers des gens pour qui ils auroient moins d'affection, & où l'on seroit moins à portée du remede. Ces representations les toucherent d'autant plus, qu'ils craignoient encore plus ce tribunal que les Laïques &c.* SARP. l. c. p. II. p. 638. sq.

z) *Epist. lib. 21. & lib. 30.*

aa) *Vid. SLEIDANVS edit. 1555. pag. 376-380. WESENBECK de statu rerum in Belgio p. 20. THVANVS l. 41. pag. 762-766,*

facerent, armata manu crudelem illum ducem, DE ALBA, contra eos misit, eamque ita vi introduxit bb). Huius immensam crudelitatem eum ferre non possent *Belgi*, atque eam ob causam bellum susciperent, liberavit se pars *Belgii* tum ab Hispani Regis, tum ab Inquisitionis iugo. Quo facto etiam in cetero Belgio, & quoad tribunalium numerum, & quoad potestatem suam, multum perdidit Inquisitio, donec tandem ad nihilum esset reducta cc).

§. 14.

Inquisitionem in *Germaniam* sub finem Seculi XIII. iam introductam esse, supra iam diximus, testantur id AVENTINI *annales libro 7. ALBERICVS in Chronico p. 543.. & ex TRITHEMIO in Chron. Hirsaug.* atque ex GODOFREDO *Monacho in annalibus, PHILIPPVS MORNÆVS in Mystero iniquitatis, sive historia Papatus pag. 326.* Eam sequentibus etiam temporibus non extinctam esse, varia testantur. Exstat v. c. instrumentum Inquisitionis die IX. Mai. a. 1481. in arce *Hoym dioeceseos Halberstadi usis habitae dd).* Sub ipsis reformationis primordiis vehementer saeviebat in *Germania*, quo tempore duo potissimum Inquisitores celebres sunt, alter IOH. TEZELIVS, cuius inepti contra LVTHERVUM clamores notissimi sunt, & qui nil nisi rogum in ore habuit; alter IACOBVS HOCHSTRATANVS, vulgo *Kaetzer-Meister*, ut seipsum vocavit, qui per *Germaniam* superiorem Inquisitoris tunc officium exercebat ee). Quantum reformationi & hoc nomine debeamus, cum post eam extincta sit apud nos Inquisitio, clare liquet.

De origine ceterorum Inquisitionis tribunalium, in aliis locis, praesertim in *Italia*, constitutorum, nihil afferam, tum, quia brevitatis habenda est ratio, tum, quia nihil novi offerunt.

CAPVT II.

bb) FERRERAS *Geschichte von Spanien neunter Band pag. 539 - 540. & pag. 551. sq.*

cc) SARPIVS l. c. pag. 43. 44.

dd) Vid. *alte und neue Theologische Sachen* in annum 1747. ubi hoc instrumentum in extenso exstat. Habita fuit haec Inquisitio contra quendam Berchtold Schade qui praeter pontificiorum dogmata, quae negavit, Luciferum, tanquam fratrem Omnipotentis Dei, omisso hoc, adorasse dicitur verbis: *Lucifer, lieber Herr, vorley uns Gut und ere, wann du dvirst erlosst, werden vvir getrost.*

ee) Vid. BOEHMERI *jus eccl. T. IV. pag. 974. Cel. ERNESTI Theologische Bibliothek T. II*

CAPVT II.

DE INTERNA INQUISITIONIS FORMA.

§. 15.

Exposita Inquisitionis origine, eiusque in varia regna introductione, iusto iam ordine internam eius formam describemus: sed cum brevitatis habenda sit ratio, ex magna rerum dicendarum copia ea tantum heic delibabimus, quae praecipuum quoddam momentum secum vehere videntur.

§. 16.

Constituunt *Inquisitionis* tribunal 1) *Inquisitores*, iudices, quibus a Pontifice Romano plena iurisdictio contra omne, quod haeresin sapit, concessa est. 2) *Vicarii generales* five *Commissarii* Inquisitoribus absentibus, excepta sententia definitiva, res confecturi; 3) *Theologi & Iurisperiti*, consiliis suis Inquisitores iuuantes; 4) *Promotor Fiscalis*, officio accusatoris fungens; 5) *Notarii & Secretarii*, scribentes dicta testium & reorum, nec non alia huiusmodi pertinentia observantes, v. c. si reus faciei colorem mutat, trepidat, balbutit, exspuendo interrogationem divertit, si vox tremula redditur &c; 6) *Iudex & Receptor bonorum publicatorum*, quorum primum iudicat inter fiscum & privatos de causis, ad bona haereticorum spectantibus; posterior bonorum publicatorum & impensarum huiusmodi Officii curam gerit; 7) *Executor*, comprehendens & custodiens reos, & absentes persequens. Ad sunt praeterea pro particulari cuiusque tribunalis institutione alii ff).

§. 17.

Variis gaudent privilegiis, magnaque potestate *Inquisitores*, & qui iis adiuncti sunt. Fruuntur, praeter triennem indulgentiam, quoties in officio quid fecerint, ipsis impertitam, & qua etiam delatores maculantur, illa adhuc indulgentia, quam INNOCENTIUS III. omnibus, in terram sanctam profecturis, olim concessit, & si in officio diem suum obeunt, plenariam omnium peccatorum consequuntur remissionem. Patet hoc ex bullis VRBANI IV, GREGORII IX, CLEMENTIS IV, ALEXANDRI IV, CLEMENTIS II, PII V, imp/

ff) Vid. LIMBORCH. P. II. c. 2-7.

mis ex *Brevi* PAVLI V, d. 29. Jul. 1611. exarato gg). Sine expresso Pontificis mandato excommunicari, suspendi vel interdicti nequeunt; ipsi vero Inquisitores possunt excommunicare, suspendere & interdicere, confugientes ad ecclesias capere, iudicia secularia inhibere &c. Ab omnibus oneribus sunt immunes. Possunt, quoties ipsis videtur, XX. vel XL. dierum indulgentiam aliis largiri, & exceptis nunciis apostolicis, paucisque aliis, contra quoscunque ipsosque adeo Principes procedere. Possunt testes ex alia dioecesi, eosdemque magnae dignitatis ad se vocare hh). Quin possunt sub excommunicationis poena & iuramento obstringere Principes & civitatum Rectores ad defendendam ecclesiam, extirpandos haereticos, ad observanda contra eos statuta tam ecclesiastica quam secularia, & abrogandas e contrario leges, Inquisitionis officium impediens.* Licet quoque ipsis punire eos, qui vel factis vel verbis iniuriam ipsis fecerint, testes ad dicendam veritatem adigere, comminatione poenae pecuniariae, excommunicatione & tortura; cogere item haereticos, ut se ipsos accusent; gravem contra eos excommunicationem pronunciare; quos volunt, in carcerem, pro delictorum personarumque qualitate, duriores aut mitiores deducere; denique quod non ultimum est, libros in lucem editos aliis prohibere ii).

§. 18.

gg) Vid. *Arsenale della Santa Inquisitione*. P. I. p. 19-21.

hh) Ita coacta fuit, ipsius Caroli V. Filia, testimonium, jussu Patris, coram Inquisitore Generali deponere, quamvis id suae & dignitati & nativitati adversari persuasa fuisset.

* Vid. EYMERICI, Arragoniae olim Inquisitoris, *Directorium Inquis.* p. 268-271. ubi varias talium juramentorum formas exhibet. Praecipue a regibus ea repetuntur in *actibus fidei*.

ii) Potestatem suam hac in re *Romanum inquisitionis tribunal* imprimis demonstravit tempore PAVLI IV. illi, ut *catalogum librorum prohibitorum* conficeret, praecipientis. *Prima* classis editi hujus *catalogi* complectebatur nomina tum pontificiorum tum aliorum, quorum omnia opera cujuscunque argumenti, etiam profani, vetantur; *secunda* classis continebat nomina librorum sigillatim damnatorum; *tertia* autem generatim scripta omnia anonyma ab a. 1519 edita, quae inter multi libri in Ecclesia romana per multos imo trecentos annos lecti, nonnulli etiam ab Inquisitione & Pontificibus approbati, itidem libri non de fide agentes, sed auctoritatem principum & magistratum contra illicitas ecclesiasticorum usurpationes defendentes, vetabantur; additus erat *catalogus* 72. typographorum, quorum libri plane omnes, uti & generatim li-

bra

§. 18.

Procedit vero Inquisitionis tribunal, I) contra *haereticos*, qui scribunt, docent, praedicant aut dicunt aliquid, contra S. Scripturam, aut articulos fidei, aut Sacramenta, Ceremonias, Ritus, decreta Conciliorum, Determinationes a Pontificibus factas, supremam Praefulis Romani auctoritatem, traditiones apostolicas, contra purgatorium & indulgentias; porro qui ad Turcorum, Iudaeorum, aliarumve sectarum religiones transeunt, praecipua earum laudant, & secundum ea vitam conformant; denique, qui quemque in sua fide salvari posse asserunt. Dividuntur vero *haeretici* in *manifestos*, qui publice doctrinam suam aut praedicant, aut profitentur, aut defendunt; & *occultos*, animi sensa externe aut aperte non proferentes. Dividuntur porro in *affirmativos*, errores suos coram Inquisitore confitentes, & *negativos*, qui haeresium non confessorum convincuntur, aut quaedam saltem non revelant, aut in factis haereticis intentionem haereticam negant; itemque in *impoenitentes*, qui in errore pertinaciter perseverant, aut quod confessi sunt, ex Inquisitione liberati retractant, aut poenitentiam ipsis iniunctam non servant, & *poenitentes*, qui errores abiurant, & quod iubentur ab inquisitoribus, faciunt, vel ante citationem aut specialem inquisitionem, vel post eam. Procedit quoque inquisitionis tribunal II) contra *haeresiarchas*, qui haereses invenerunt, easve alios docuerunt. III) contra *Fautores haereticorum*, qui defendunt, protegent, adjuvant eos, contra quos procedit Inquisitio; qui non ignari, esse quem haereticum, aut ex Inquisitionis vinculis effugisse,

bri omnium typographorum, vel unum haereticum librum edentium, interdicebantur. Incurrebat praeterea excommunicationem *latae sententiae* aliasque poenas, qui eos legebat. Verum index hic, eruditioni infestissimus, in Concilio Tridentino abrogatus, inque ejus locum alius confectus est. Eduntur & editi sunt praeterea tum in Hispania, tum in aliis locis ab Inquisitione singulares librorum vetitorum indices: Romae vero singularis *congregatio indicis* ex cardinalibus & Theologis consultoribus composita, hunc ipsam in finem erecta est, ut libros examinet atque de haereticis deinceps Inquisitionem faciat certiore. Vid. PAULVS SARPIVS in hist. Concil. Trident. P. II. p. 150-154. Idem in *Hist. dell' Inquisitione* p. 156.-159. HEIDEGGERVS in *Tumulo conc. Trident.* P. II. pag. 19-25. & LABATVS in *itinerario* T. VIII. p. 220.

gisse, aut eo citatum fuisse, eum vel tecto recipiunt, vel occultant, vel eum, ne capiatur, quocunque modo adiuvant; qui sine permissione cum captivis colloquuntur, aut eos instruunt, ut veritatem celent; qui Inquisitores minis terrent, quo minus, quod ipsorum est, faciant; qui scientes & volentes eos adiuvant, quos Inquisitionem impedire constat; qui cum haereticis commercia tractant, missis eisdem aut mercibus, aut pecunia, aut literis, aut his ab iis acceptis; qui cognoscentes haereticos aut suspectos, (ubi nec frater, nec pater, nec uxor, eximuntur) eos non denunciant; qui, cum magistratus sint, haereticos non extirpant, aut eos adiuvant, aut sententias Inquisitorum non exequuntur; qui statuunt, neminem nisi Dominum temporalem de haeresi cognoscere, nullum accusari, nullum testari, nisi coram ipso, debere; Praeter hos procedit IV) contra *suspectos de haeresi*, quibus annumerantur omnes, qui res dicunt, ad fidem spectantes, auditoresque offendentes, nec eas interpretantur; qui licet non dicant, faciunt tamen aliquid, haeresin sapiens v. c. abutendo sacramentis, hostia consecrata, baptismo, oleo sancto, chrismate, verbis institutionis S. coenae, aqua benedicta; qui, cum confessarii sint, in sacramentali confessione sollicitant & provocant mulieres ad actus inhonestos kk). Qui sanctam crucem, aliasque sanctas imagines ferunt, rumpunt, luto oblinunt; qui libros in indice expurgatorio prohibitos tenent, scribunt, legunt, aliis legendos dant; qui id non faciunt, quod reliqui catholici, v. c. qui confessionibus & sacramentis annuis non vacant, missam non frequentant, cibis prohibitis vescuntur; qui haereticorum imagines aut pingunt, aut aservant; qui cum sacerdotes non sint, missas tamen celebrant, confessionibus vacant; qui missas sine consecratione celebrant, aut qui sacramenta baptismi, confirmationis & ordinis repetunt; qui, licet uxorati, ordines sacros recipiunt, aut monogami evadunt bigami; qui in sacris constituti ordinibus, uxorem ducunt; qui publi-

CO

kk) Refert LIMBORCHIVS, denunciata esse, promulgata PII IV. bulla, tantam ejusmodi confessoriorum vim, ut ad conscribenda accusatorum nomina pluribus quam triginta diebus opus esset. Sed retulerunt pedem inquisitores, remque oblivioni mandarunt. Vid. l. c. p. 224.

co haereticorum cultui vel unica vice interfuerunt ; qui ab Inquisitione citati non comparent ; qui, excommunicati, Inquisitioni intra annum non satisfaciunt ; qui haereticos frequentant, muneribus exornant, eorumque punitionem impediunt ; qui in causa fidei id iudicialiter negarunt, quod prius affirmarunt ; qui in iudiciis mentiuntur & periurant. Hi *haereseos suspecti* dividuntur 1) in *leviter suspectos*, ex quorum sc. vel factorum vel verborum signis externis levi consequentia conicitur, eos haereticos esse, 2) in *vehementer suspectos*, ex quorum factis verbisve argumentum huius rei concludens elicitur, 3) in *violente suspectos*, quorum ex verbis vel factis concludi potest efficaciter, & fere semper, talia facientem & dicentem haereticum esse. *Inquisitio* procedit V) contra *relapsos*, qui 1) vel in abiuratum haeresin, vel aliam, rursus incidunt, vel poenitentiam haeresi ipsorum contrariam, ipsisque impositam, non servant, vel 2) secunda vice Fautores haereseos deprehenduntur. VI) contra *offensores S. officii*, quales habentur, qui offendunt personas S. officii, siue offensio ad vitam, siue ad bona, siue ad famam spectet ; qui iis minantur ; qui laedunt denunciatores aut testes vulneribus, iniuriis, minis ; qui scripta furantur, aut aliud quid ex S. officio ; qui dilacerant eius edicta, ne legantur, aut loco movent, ubi affixa erant. VII) contra *blasphemos, blasphemias haereticas evomentes*, quae ex qualitate verborum, personarum, temporis & loci magis vel minus nefariae sunt diiudicandae. VIII) contra *magos, incantatores, maleficas, lamias, incantatrices* 1), aut per socios lociasve, aut quod magis *urgetur*, 11) Ad demonstrandum, qui olim potissimum hac in re obtinuit, abusum, ex HENRICI CORNELII AGRIPPAE libro de vanitate & incertitudine scientiarum memorabile afferam specimen. Cum is apud Mediomatricos rei publicae a consiliis advocatus praecesset, accidisse refert, ut rusticam mulierculam ob futiles quasdam & iniquissimas calumnias ad suum vocaret tribunal Inquisitor. Publice eam defendenti AGRIPPAE respondit ille, *satis indicii, quod malefica illa sit, id esse, quod mater mulieris huius, tanquam sortilega, quondam excremata fuerit : solere enim maleficas mulieres foetus suos illico natos sacrificare daemionibus, quin & illos ex incuborum daemionum concubitu plurimum concipere ; proinde contingere, ut in ea prole, velut ex haereditario morbo, radicata remaneat malitia.* Quam ridiculam & falsam argumentationem cum exploderet & refutaret AGRIPPA, ita illum excanduisse, ut se adversus

urgetur, per coniecturas & praesumptiones sanas & prudentes, diiudicandas. Accensentur his omnes, qui, uti contendunt, constrictos habent in annulis, speculis, medallis &c. daemones; qui iis cum anima & corpore se dediderunt, seque suos esse velle, iurarunt, aut sanguine subscripserunt; qui Diabolum aut *explicite* aut *implicite* adorant, sal, panem, aut aliud quid ei offerentes; qui impiis orationibus, quibus amorem in se provocare volunt, utuntur v. c. oratione *S. Danielis*, *S. Martae*, *S. Helenae* &c. Denique procedit Inquisitio IX) contra *Iudaeos*, fidem catholicam contemnentes, qui ex variis signis v. c. familiaritate cum Iudaeis, frequentatione locorum ipsius aut sacrorum aut secretorum, & ex nomine sunt dignoscendi. Subiecti vero sunt huic tribunali *Iudaei* & *infideles*, si veritates nobis & ipsis communes negaverint, v. c. Deum esse unum, aeternum &c; si invocaverint aut adoraverint Daemones, aut quodcumque cum iis commercium habuerint; si statuerint, Christum purum fuisse hominem, aut peccatorem, & Mariam non fuisse virginem; si quendam Christianum ad deserendam fidem suam adduxerint; si quocumque modo e sua gente impedierint aliquem, ne Christiana amplecteretur sacra; si novis Christianis fugam suadent aut adiuvant; si tenent, occultant, aut divulgant libros Talmudicos, aliosve Iudaicos damnatos & prohibitos, vel etiam libros, Christianis prohibitos, vel obscenos, porro scripta magica, aut haeresibus contra Vetus Testamentum infecta, aut contumelias continentia & blasphemias contra Deum, S. Trinitatem, Christum & eius religionem, virginem Mariam, Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Sanctos; contra crucem, sacramenta N. T., imagines, Ecclesiam, sedem apostolicam; contra fideles, Episcopos, Sacerdotes, personas ecclesiasticas, alias, novos Christianos; si Christianis insultaverint in sancta hebdomade, aut si alio tempore cruci affixerint agnos, pecora &c; si nutrices habuerint Christianas; denique in omnibus iis rebus, quae ad Fautores haereticorum,

ipsum, seu fautorem haereticorum, causam acturum minaretur, Neque tamen Agrippa, quin mulierem illam *juris potentia* liberaret, absterreri potuit. vid. C. XCVI. ubi generatim de arte Inquisitorum, atque etiam speciatim de fraudibus Inquisitorum quorundam Mediolanensium, pecunias e timidis matronis emungentium, agit.

eorum, magos, incantatores & offensores S. officii spectant, Inquisitionis tribunali subiecti sunt mm).

§. 19.

Processus incipiendi tres sunt modi. I) per *accusationem* aut a reo ipso factam, ubi lenius deinceps habetur, aut per alios, quod tamen raro fit, & pro accusatore non satis tutum est. II) per *denunciationem*, ubi Denunciator conscientia, fidei zelo, excommunicationis metu, aut Confessarii mandato motus, accurate tum de reo in genere, tum de complicibus reliquisque circumstantiis examinatur, &, quod detulit, ne revelet, iuramento adstringitur. III) per *Inquisitionem* ab Inquisitoribus in visitationibus suis & post factam denunciationem & testium examinationem, aut ob famam haereseos, instituendam nn).

§. 20.

Testes, quos aut accusator & denunciator allegat, aut Inquisitor evocat, praestito iuramento per multas ambages callide examinantur, addita comminatione, fore, si sequenti tempore eos veritatem conticuisse apparuerit, ut in poenam Fautorum haereticorum incidant; immo eos in excommunicationem iam incurrere, si veritatem celaverint, nec a Confessario absolvi posse. Quodsi vero per alios testes constiterit, quendam testem rei gnarum & convictum, aut saltem graviter suspectum esse; aut si ex responsis, ex confusione aut titubatione pateat, eum verum dicere noluisse, procedere in ipsum licet, ceu deponentem falsa, aut Fautorem haereticorum; potest in carcerem coniici, torqueri, aut, ut securitatem, sistendi se coram Inquisitore, praestet, cogi. Testes esse possunt omnes, etiam aliis in tribunalibus exclusi, haeretici, Iudaei, infideles, domestici, periuri, malae famae & pessimi furfuris homines, solis inimicis capitalibus exceptis. Nomina testium nec reo, nec Procuratori fiscali, nec advocato publicantur, nec unquam, nisi rarissime, & nisi causa adsit gravissima, nullumque pro officio emergens inde periculum, cum eo confrontantur. Sufficiunt, Inquisitori fide digni visi, duo, quibus & ipse denuncia-

tor

mm) Vid. *Arsenale della S. Inq. P. I. pag. 21.-31.*

nn) Vid. EYMERICVS in *Directorio Inquis. p. 285. Arsenale p. 32.-38. collato tamen LIMBORGHIO P. II. C. VII. & VIII.*



tor adnumerari potest. Falsi testes puniuntur illi quidem nonnunquam, sed ne homines a ferendo testimonio absterreantur, aut raro, aut minus, quam merentur oo).

§. 21.

Auditis testibus ulterius procedit Inquisitio, delatumque, si nobilis aut dignitate quadam ornatus est, per ministros suos vocat, si vilior, capiendum curat, si absens, citat, praesentes in carcerem conici curat, absentes vero & comparere nolentes, tanquam haereticos, damnat, & per exploratores suos ubique investigari curat pp).

§. 22.

Ad examen, quod plerumque efflagitare debet, cum reus admittitur, iuramento ad dicendam in omnibus veritatem adstringitur, & de omnibus rebus, quae vel e longinquo crimen suum illustrare possunt, callide & accurate interrogatur. Si veritatem confitetur, peracta est eius causa; si non, ut id faciat, per viscera misericordiae Iesu Christi adiuratus, in carcerem remittitur. Iuxta EYMERICVM, Inquisitores non interrogant omnes de iisdem, nec eodem ordine, sed occasionem & modum inquirendi arripiunt, vel ex accusantium & denunciantium dictis, vel ex testium responsis, vel ex his, quae proprii ingenii acumen aperit, & crebro modum examinandi variant, ne, si ordinario modo semper agerent, is praecaveri possit & evitari qq). Aliquando benigne alloquitur Inquisitor reos, simulat se compati eius miseriae, hortatur, ut dicat veritatem, quam se scire simulat, spe aliqua iniecta gratiae & dimissionis, si fateatur; saepe captivos in cibo & potu humaniter tractat, aut multa pollicetur, aut ad expiscandum eum vasrum captivum ad eum mittit, verba interim notantibus ante fores quibusdam. Si reus, aut plane non, aut non omnia, confitetur, aut confessa revocat, torturae adplicatur. Conceditur reo, in negativa perstanti, advocatus, nomine magis, quam re, Inquisitioni iuramento obstrictus, & patrocinium rei dimissurus, si

oo) Vid. LIMBORCH. P. II. p. 269. seq. Arsenale p. 69 - 83. & SANCTARELLI, tractatus de haer. & potestate Rom. pontificis p. 375. 381.

pp) Vid. SANCTARELLVS l. c. p. 345. EYMERICVS l. c. p. 365. p. 303. sq.

qq) Vid. EYMERICVS P. III. p. 361, & LIMBORCHIVS l. c. p. 373. - 377. sq.

si eum convictum criminis cognoverit. Tandem reum accusat Procurator Fiscalis, cuius accusationis copia ipsi redditur. Sunt adhuc alia, eaque bene multa, quae aut speciem veri & iuridici processus mentiuntur, aut Inquisitioni propria sunt, quibus recensendis in rerum praesentia haud immorabimur rr)

§. 23.

Id potius paucis adhuc notamus, processus ipsos inquisitorios, rebus in inquisitionis iudicio expensis, variis vel tandem modis terminari. I) quidem per *absolutionem*, ubi innocentes inveniuntur inquisiti. II) per *purgationem canonicam*, aut *de levi*, aut *de vehementi*, instituendam. Reus hic tot adducere debet testes, eiusdemque ordinis, quot iudex requirit. Non ipse modo reus innocentiam suam iuramento confirmare tenetur, sed & testes, accurate antea examinandi ab Inquisitore, an noverint reum, an cum eo olim fuerint conversati, an ipsi sint catholici, an nunquam damnati, aut a testando repulsi? Porro, annon a reo aut consanguineis amicisve eius pecunia corrupti, aut indebito affectu permoti sint? Item an se ipsos ad purgandum obtulerint? an sciant, cuiusnam momenti sit eiusmodi iuramentum, & denique an iurare velint? ss) III) per *torturam*, quibuscunque reis pro ratione criminis levius vel gravius applicandam tt). Quando reus, cum semiplena probatio

rr) Vid. LIMBORCHIVS P. II. p. 273-275.

ss) Vid. *Arsenale l. c.* p. 213.-225.

tt) Torturae varia sunt genera & gradus. v. c. exutus ligatusque reus funi ita applicatur, ut in altum elevatus, ob membrorum distortionem maximos patiatur cruciatus. Si non confitetur, tormentum ignis applicatur. Nudati scilicet pedes & lardo porcino inuncti in cippis juxta ignem validum retinentur. Aliud genus est tormentum taxillorum, italice *Stanghetta* dictum, quo reus in terram prosternitur, & talus pedis dexteri denudatus inter duos taxillos concavos ponitur, quos carnifex comprimit. Denique reis debilibus applicatur tormentum sibilorum, quo manus ante junguntur, & inter binos earum singulos digitos sibili accommodantur, fortiterque premituntur. v. *Arsenale p. 167. sq.* PEGNA in *scholiis ad EYMERICVM* p. 226. laudat quidem non parum institutum veritatem per tormenta eliciendi: *vehementer tamen, inquit, reprehendo sanguinarios iudices, qui ut vanam & inanem, nescio quam gloriam aucupentur, nova genera tormentorum contra jus & fas misellis reis imponunt, ita, ut prae saevitia aut deficient in tortura, aut membra rumpantur, & in perpetuum reddantur inutilis.* Fidem, quam LABATVS ei denegat, conciliant

batio adfit, crimen aut plane negat, aut intentio & ulterior veritas extorquenda est, aliaeque probationes deficiunt, nec veritas aliter explorari potest. Atque haec ipsa tortura, pro circumstantiarum ratione, subinde iterari solet. Quod si is, qui tormentis admotus fuit, nihil confessus, & sufficienter tortus fuerit, nec crimen nimis sit atrox, aut novi nihil accedat, liber dimittitur: Si autem confessus fuerit, confessio, ab ipso confirmanda, alio in loco ipsi praelegitur. Si non perstiterit in ea, nec sufficienter sit tortus, denuo tormentis est subiiciendus. Si vero in ea perseveraverit, & haereticus est, damnatur tanquam poenitens, si haeresin abiicit: quod si autem eandem haud dimittat, brachio seculari comburendus traditur ceu impoenitens. Denique terminantur quoque processus IV) per *abiurationem*. De haeresi *leviter* suspectis in secreto abiurandum; *vehementer* autem suspectis, publice id faciendum, addita utrisque poenitentia, hisce, quos ultimo loco nominavimus, nisi impoenitentes iudicari velint, accurate observanda. *Violente*, quos vocant, suspecti, tanquam haeretici iudicari solent. Haeretici vero, ad gremium ecclesiae se recipientes, errores suos publice abiurant, & hac ratione ab excommunicatione solvuntur vv).

§. 24.

Poenitentiae & poenae, quae reis irrogari solent ab Inquisitionis tribunali, varii sunt generis: v. c. Peregrinationes; ieiunia; vestitus infamis, *Sanbenito* dictus, quo aut per integram vitam, aut ad certum tantum tempus incedere debent; porro exilium; fustigationes; iactura opum; exclusio a muneribus & beneficiis, in filios & nepotes nonnunquam extensa; perpetuus muri carcer, supplicio ipso aliquando gravior xx); poenae triremium; denique supplicium ignis

haec Inquisitionis Goanae auctori, DELLONIO, C. XXIII. inquenti: „mensibus Nov. ac Dec. quotidie mane audivi clamores & ejulatus eorum, qui quaestioni admoti fuerunt, quae adeo crudelis est, ut viderem plures utriusque sexus exinde semper fuisse claudos. In hoc tribunali nec aetas, nec sexus, nec rei, nec personae qualitas respicitur, sed omnes sine discrimine, quaestioni admoventur, quando, ut id fiat, tribunalis hujus interest,„ teste PEGNA *loc. cit.* Clerici, Monachi, & religiosi mitius torquentur.

vv) Vide *Arsenale* l. c. p. 232.-295.

xx) *Les prisons*, inquit COLMENAR, *sont horribles, & il n'y a rien de plus capable*

ignis ipsum, relapsis, apostatis, haereticis convictis, negativis, facto ipso; fugitivis vero in effigie aut publice zz) aut privatim a) sustinendum, & si rei iam ante supplicii diem vita functi fuerint, in ossa ipsorum extensum b).

Haec praecipua sunt, quae de Inquisitionis *forma interna* dici possunt. Sunt tamen multa alia, quae nos latent. Nervus enim Inquisitionis iudicatur profundum de omnibus rebus silentium, tum ministris Inquisitionis, tum reis, qui incolumes dimittuntur, servandum. Hinc & PEGNA, EYMERICI commentator, ex vero pronunciat: c) „Quaedam sunt, quae non oportet vel evulgare, vel docere, & sunt Inquisitoribus satis per se nota.„

§. 25.

Exposita iam *generali* Inquisitionis *forma interna*, de iis Inquisitionis

capable de jeter la terreur dans l'ame des prisonniers, & de les disposer à paroître devant le Tribunal du Monde le plus terrible, que ces tristes demeures. Ces prisons sont situées dans les lieux éloignés de tout commerce; on y descend par quantité de détours, de peur que les cris & les craintes des malheureux qui les habitent, ne puissent être entendus, & toucher quelqu'un de pitié. Le jour n'entre jamais dans ces sombres lieux, afin que ceux, qui y sont détenus, ne puissent lire, ni s'occuper d'autre chose que de leurs peines. Si la proximité d'un cachot à l'autre leur permettoit de s'entretenir, on leur défend toute communication; & si on les entend parler ou seuls ou avec quelqu'un, l'on entre & on les déchire à coups de fouets. Il arrive aussi delà, que ceux qui sortent dans les actes de Foi, sont ordinairement si changés & défigurés qu'on a quelquefois peine à les reconnoître & qu'ils paroissent moins des personnes vivantes, que des morts que l'on fait marcher avec des ressorts. l. c. p. 223. & 291.

zz) Solet id fieri in actibus illis solennibus, ad quos denominandos *fidei* voce aburruntur, (*auto da fé*) in quibus homines per multos saepe annos carceris squalore vexati, multis ceremoniis, pietatis speciem mentientibus, cumburuntur; si poenitentes sunt, antea suffocati, si vero impenitentes, vivi. Celebrari solent magnis cum sumtibus & pompa plerumque, si Reges imperii fasces accipiunt, si matrimonia ineunt; aut si principes haereditarij nascuntur. Vid. LIMBORCHIVS loc. cit. p. 367-378.

a) Vid. COLMENAR l. c. p. 252. ubi ita: *Outre ces executions generales de l'inquisition, il s'en fait tous les ans des particulieres sur la fin du Carême. Les Inquisiteurs dans ces occasions sont accompagnés des Magistrats, des officiers de Justice, de ceux du Roi, du Gouverneur, de la Noblesse, de l'Evêque & de tout le Clergé seculier & Regulier; & tout s'y passe à peu près avec les mêmes ceremonies.*

b) Vid LIMBORCH. p. 329-378.

c) Commentar. XXIII.



tionis tribunalibus, quae ab ea, quam modo descripsimus, forma discedunt, quaedam dicemus. Speciatim de inquisitione *Veneta* atque *Romana* nonnulla haec proferemus in medium.

§. 26.

Venetum Inquisitionis tribunal, quem ad modum & *Florentinum*, iussu Imperatoris, FRANCISCI I. nostro hoc tempore eodem modo institutum, ita fere se habet. Adesse debent necessario cuivis Inquisitionis actui tres *Assessores politici*, in subiectis vero urbibus *praefecti*, aut, si absint, alii, quibus omnibus nullum cum Romana curia negotium commerciumve habere licet. Debent hi 1) ad extirpandas haereses, & puniendos fontes, promptas quidem dare manus, sed & 2) impedire, ne personae ecclesiasticae temporali potestati aliquid derogent, aut quidquam suscipiant, quod cum damno vel praesudicio urbis, status, vel auctoritatis secularis, aut oppressione subditorum sit coniunctum, denunciando id principi, suaque iussa expectando, remque interim suspendendo; 3) excitare ecclesiasticos in extirpandis haeresibus, aut in expediendis causis negligentes. 4) De morte aut qualicunque Inquisitoris discessu Principem & legatum Romae certiores facere. 5) Nullum Inquisitorem novum, nisi litteris Principis munitum, agnoscere. 6) Omnibus processibus, licet contra ecclesiasticos institutis, & si vel maxime leves videantur, vel Inquisitor se rem ipsi communicaturum promittat, a denunciatione rei usque ad sententiam interesse, plane omnia, ipsis absentibus, acta, irrita pronunciare, ideoque sedulo curare, ut unicuique, quod promulgatur, inquisitionis decreto expresse adiiciatur, processum, ipsis praesentibus, esse institutum. 7) Debent 7) impedire, ne captivi aut processus in aliam amendantur ditionem, aut in processu contra eos mandata & decreta, ab exteris venientia, adhibeantur. 8) Non permittere, ut quis, nisi, praesentibus ipsis, haereticus inventus, carceri intrudatur, nec, 9) ut sortilegia, divinationes, magiae, blasphemiae, bigamiae &c. nisi clarum haereseos indicium adsit, ab Inquisitoribus cognoscantur; si res dubia est, iussum Principis expectandum: si mixta, quoad haeresin, ab Inquisitoribus, quoad factum, a iudicibus secularibus est cognoscenda. 10) Omnia delicta Iudaeorum, aut quorumcunque infidelium, aut hominum sectae alicuius christianae, quae integra proprios habet ritus, ab Inquisitionis tribunali ad seculare forum ablegare.

gare. 11) bona damnatorum haeredibus relinquenda curare. 12) Vetitum ipsis est, iuramentum fidelitatis aut silentii Inquisitoribus praestare, contra ea vero Principi subinde denunciare tenentur, quid agatur, praesertim si res magni sit momenti. 13) cavere denique, ne ab a. 1595. inde prohibitio librorum prodeat, nisi observatae sint conditiones concordati, sedem apostolicam inter & rem publicam facti a. 1596. d).

§. 27.

Praecipua Inquisitionis sedes *Romae* est, ubi primo, testibus LIMBORCHIO & LABATO, patri cuidam purpurato, ceu Inquisitori maximo, eique soli demandata, postea vero, cum nimis amplam potestatem, ipsi nonnunquam Praefuli Romano gravem atque molestam, sibi arrogaret eiusmodi inquisitor, a PAVLO III. SIXTO V. PIO IV. in aliam formam redacta fuit. Summum hoc, omnibusque aliis praepositum inquisitionis tribunal, in manibus Cardinalium est, mox plurium, mox pauciorum, prout placuerit antistiti Romano, qui eiusdem caput est. Concessa est tribunali huic auctoritas contra quos-

d) Vid. SARPIVS in *Hist. dell' Inquisizione* pag. 23 - 24. & 66 - 210. & imprimis, quod ad ultimum momentum attinet. p. 156 - 195. ubi id, quod *concordatum* hoc constituit, exhibet, cuius summa haec est, 1) libri in indice a. 1595. prohibiti, pro talibus agnoscendi sunt. 2) ab hoc inde tempore nullus liber nisi auctoritate publica prohiberi potest. 3) ecclesiasticis, publicum consensum ad prohibendos libros vere haereticos petentibus, dari is potest. 4) sub praetextu religionis nullus liber prohibendus est, qui auctoritatem temporalem defendit. 5) Inquisitor nullum librum vetare potest, nisi respectu haereseos, in aliis a Magistratu prohibendus est. 6) libri quicumque alio in loco excusi, qui auctoritatem imperii infringunt, prohibendi sunt quocumque modo a Magistratu seculari. 7) in recudendis libris attendendum, ne deleantur, quae potestati temporali favent. 8) libris recudendis, in quibus deletae sunt res auctoritati seculari faventes, secundum primum exemplar eadem addendae sunt. 9) Si index anni 1595. recuditur, cavendum, ne nova nomina inserantur. 10) cum dicto hoc indice excudendum etiam *concordatum*. Ad infringendum hoc, quibus fraudibus usi sint Inquisitores, l. c. exponit SARPIVS. Quanta vero hodie in edendis libris libertas Venetiis concessa sit, satis notum est. Prodiit hoc ipso anno liber, qui inscribitur: *Dissertatione Isagogica intorno allo stato della Chiesa, e la Podestà del Romano Pontefice & de' Vescovi. Con Licenza de' Superiori*, cuius libri auctor auctoritatem Pontificis angustis admodum circumscribit cancellis.

quoscunque haereticos, vel de haeresi suspectos, eorumque complices & Fautores &c. cuiuscunque sint status, gradus, ordinis, conditionis & praeeminentiae, absque ordinaria forma, procedendi, eos puniendi, bona confiscandi, Inquisitores ubique cum simili vel limitata potestate substituendi, appellationes ab aliis Inquisitoribus factas agnoscendi &c. A iurisdictione supremi huius tribunalis ne ipsi quidem Cardinales & Episcopi eximuntur, quod re ipsa experti sunt Cardinalis ODETVS, Archiepiscopus Aquanensis, & quatuor alii Episcopi, damnati, dignitatibus suis privati & puniti. Quin imo sunt, qui eousque progrediuntur, ut statuunt, ipsum Pontificem supremum tribunali huic esse subiectum e). Additi vero Cardinalibus sunt *Assessor, Commissarius, Secretarius, Consultatores,* inter

e) Vid. Libellum gallicum, hac insignitum inscriptione: *Trois Lettres touchant l'Etat présent d'Italie écrites en l'année 1687.* Sunt ex ipsis ecclesiae Romanae doctoribus haud pauci, qui ipsum ecclesiae Romanae antistitem in haeresin incidere posse, pronunciare haud dubitant. Sufficiat ex iis heic laudasse Theologos Gallos eosque celeberrimos, JO LAVNOIVM, EDMONDVM RICHERIVM, PETRVM DE MARCA, STEPHANVM BALLVZIVM, ANTONIVM ARNALDVM & IAC. BENIGNVM BOSSVETVM, Episcopum quondam Meldensem. Nec nova est haec sententia, sed longe antiquissima, inque ipsius concilii Constantiensis decretis Sess. IV. & V. stabilita, prout copiose ostendit S. REV. DN. PRAESES in *Commentat. Historico-Theol. de fallibili Pontificis Romani auctoritate ex actis Concilii Constantiensis maximam partem deducta*, Lugduni Batav. MDCCXXXII. typis exscripta. Unde & EYMERICVS l. c. p. 35. PEGNA l. c. p. 204. non obscure ipsum Pontificem Romanum Inquisitionis tribunali subiiciunt. Exemplum huius rei luculentum deprehendimus in historia INNOCENTII XI. qui exeunte seculo superiori sedem romanam occupavit. Is enim a quibusdam Inquisitionis romanae assessoribus, hoc nomine delegatis, ob praestitum MOLINOSIO favorem examinatus fuit, non quidem tanquam supremus Ecclesiae praeful, sed tanquam *Benedictus Odeschalchi*. Sed distinctio inter Pontificem ut privatum & publicum Doctorem frivola est, dudumque a sagacioribus explosa, ad quam lepida ista atque ingeniosa rustici cuiusdam responsio applicari posset a Baelio allata. *Vous souvenez vous*, inquit BAYLIVS, *de la pensée d'un paysan, qui étoit fort scandalisé de voir un Archevêque de Cologne à la tête d'une armée, ce qui ne lui sembloit pas aussi apostolique, que le doivent être les prélats? on lui representa, que ce n'étoit pas tant qu'Archevêque, que cet Electeur faisoit la guerre, mais tant qu'Electeur: Mais quand Monsieur l'Electeur, repondit-il, sera à tous les Diables, que deviendra Monsieur l'Archevêque?* Vid. *la critique generale de l'hist. du Calvinisme de Mr. Maimbourg T. I. Lettre XIII. p. 236. 237.*

inter quos praecipue *summum Dominicanorum caput & Magister Palatii Papalis* eminent, itemque *Doctores, Fiscalis, alii* f). Sunt vero & alia Inquisitionis tribunalia, quae ab ea, quam descripsimus, forma generali paulisper abeunt. Verum cum istae discrepantiae subinde exigui admodum sint momenti, easdem studio heic praetermittimus.

CAPVT III.

DE STATV ET REBVS GESTIS INQVIVISIONIS
IN VARIIS REGNIS.

§. 28.

Recensitis iis, quae ad *internam*, quam vocant, inquisitionis *formam* propius spectant, de statu eius tum antiquiori tum recentiori, rebusque tum in Europa tum alibi gestis, pauca differemus. Heic vero primo se nobis loco offert *Hispanicum* inquisitionis tribunal, quod luculenta tum horrendae crudelitatis tum illimitatae potestatis nullo non tempore edidit specimina. Primus mox, qui Generalis Inquisitoris munere in Hispania functus est, IO. DE TURRECREMATA tantam hominum vim partim ad suum vocavit tribunal, partim comburi iussit, ut numerus eorum, quos vocavit, centum milia, eorum vero, quos supplicio ignis addixit, sex excederet milia g). Potestatem hanc, iam inde ab initio nimis gravem, multisque funestam subsequenti tempore plurimum auxit PHILIPPVS II. Rex Hispaniarum. Neque enim is tantum Inquisitionis tribunali de *Archiepiscopo Toletano & Hispaniae Primate*, CARANZA h), cognos-

f) Vid. LABATVM in *itinerario* T. VIII. p. 313 - 216.

g) Vid. COLMENARIVM in *annal.* p. 142. & qui idem ex libro dominae D'AVNOY refert, CLARCKIVM in *litteris de Hispania scriptis*, p. 133.

h) En quid de eo referat COVRAYERIVS: Ce prélat sur de simples soupçons d'herésie fut arrêté par les ordres de l'Inquisition dès l'an 1559. Le procès fut instruit pendant un assés long tems dans ce tribunal, & le Pape fit demander souvent par son Nonce les informations, pretendant que le jugement de cette cause lui appartenoit. Mais ce fut en vain. CARANZA resta à l'Inquisition, jusqu'à ce qu'il eut appellé en 1567. de la Sentence rendue contre lui. Mais il ne fut guères plus heureux à Rome. Car il resta encore 8. ans dans les prisons du S. office; & quoiqu'on le déclarât à la fin non convaincu: on l'obligea néanmoins de faire

gnoscenti, & in corpora defunctorum, speciatim *Praedicatoris & confessorii Patris CAROLI V.* igne animadvertendi concessit potestatem, sed praepostero abreptus religionis zelo, tristissimo huic spectaculo ipse interfuit i). Sunt nonnulli, qui eum hortatu Inquisitionis, ipsum CAROLVM, filium suum, quod inquisitionem se ali-

une abjuration, comme legitiment suspect des Erreurs, dont on l'accusoit, & ensuite de finir ses jours dans son couvent de la Minerve à Rome. Vid. ejus hist. Conc. Trid. P. II. p. 638. n. 7.

i) vid. THVANVS L. XXIII. p. m. 448. b. ubi ita: „PHILIPPVS, cum
 „ex naufragio incolumis discederet, singulari Dei beneficio periculo se ereptum
 „dicebat, in id servatum, ut propagandae ejus gloriae & Lutheranismi extir-
 „pando inferviret. Quod ut factum comprobaret, statim ubi in Hispaniam ve-
 „nit, a Sectariorum castigatione initium fecit. Et cum ante singuli aut plures,
 „ut casus tulerat, ob pravas de Religione opiniones post condemnationem
 „mox carnifici traderentur, in ejus adventum servati passim in tota Hispania
 „damnati, & Hispalim ac Pinciam deducti sunt, quibus locis theatralem pompam
 „ad supplicium producerentur. Primus actus Hispalis celebratus fuit VIII.
 „kal. VIIIbr. (1559), inque eo ante alios quasi in triumphum ex Triana
 „arce eductus. 1) *Pontinus*, comes, pro haeretico Lutherano, sub hoc enim
 „elogio ducebatur, combustus. 2) *Jo. Consalvus*, concionator. 3) *Isab. Vae-*
 „*nia, Maria Viroesia, Cornelia & Bohorquia*, plenum inde misericordiae, in-
 „de invidiae spectaculum, ex eo auctae, quod *Bohorquia* caeteris aetate mi-
 „nor, vix enim annum XXI. attigerat, summa constantia mortem subiit.
 „Post alios denique *Aegidius & Constantinus*, verum utrumque mors antici-
 „pata vivum spectaculo invidit. Siquidem ille ob eximiam pietatis & erudi-
 „tionis opinionem cum a CAROLO V. Episcopus Drossensis esset designatus,
 „postea postulatus est, & recantato seu astu seu hortatu DOMINICI a SOTO
 „publice errore, concionandi munere ac sacris ad tempus interdictus est, & ali-
 „quanto tempore ante actum illum obiit. Sed cum Inquisitores mitius cum
 „illo actum putarent, cadaver in jus vocant, & mortuum ad mortem dam-
 „nant, eumque tanquam ex machina excitatum, ad spectaculum sistunt straminea
 „effigie. *Constantinus* vero, qui a sacris confessionibus diu Caesari, eique in
 „solitudine sua post Imperii ac regnorum abdicationem ac postremo animam
 „agenti semper praesto fuerat, ad idem mox tribunal raptus, in tetro carcere,
 „paullo ante exspiraverat. Sed ne theatrum *Constantino* careret, ejus quasi
 „concionantis effigies circumducta est. Atque ita terribile per se spectaculum,
 „quod primo plerisque adstantium lacrymas excusserat, larvis his in scenam
 „productis, risum multis ac postremo indignationem movit. Eadem severi-
 „tate postea Pinciae cum aliis ejusdem criminis infimulatis actum est; ubi
 „spectante, ut nonnulli ajunt, ipso PHILIPPO, XXVIII. ex praecipua re-
 „gionis nobilitate palis alligati ac cremati sunt,

aliquando dixerat abrogaturum, morti addixisse, aiunt. Nec id ab omni veri specie abludere, infra ostendemus k). Unde mirum videri haud debet, hancce Inquisitionem, tanta instructam auctoritate, eo proterviae processisse, ut ipsius Regis PHILIPPI III. de haeresi quodammodo suspecti, postulare sanguinem haud dubitaverit. l) Ut complura alia crudelitatis specimina, quae in subsequen- tibus temporibus ediderunt Inquisitores Hispani, iam taceamus. Quanta vero nostro adhuc seculo crudelitate usa sit haec inquisitio, immitia eius praeiudicia a P. LABATO, *Dominici ordinis Monacho, & per quinque annos Provicario S. officii in civitate Veccienfi, allata, evincunt m).*

§. 29.

k) Ut taceam auctores, qui id assertunt, Abbatem S. REAL, COLMENARIUM in *annalibus*, aliosque; suspicionem augent. 1) *Inimicitia graviter ab eo offensi Cardinalis, Spinosa Inquisitoris Generalis;* 2) *mandatum PHILIPPI, Inquisitori Generali aliquando datum, ut non modo Archiepiscopo illi Toletano, sed ne ipsi quidem filio parceret, si hunc ejusdem criminis reum deprehenderet.* 3) *Favor CAROLI erga Protestantes Flandros.* 4) *Odium & similitates patrem inter & filium;* 5) *aliud Regis dictum, comburendo cuidam nobili datum, se filium suum ipsum, si pertinax esset haereticus, flammis traditurum, &c.* Haec, quibus usus sum, suspicionis argumenta assertit FERRE- RAS ipse, licet rumores, quos in Europa de morte CAROLI hujus sparsos esse dicit, neget. Sed veritas hac in re ab ipso non fuit exspectanda. Vid. *Historiae ipsius T. IX. p. 437. seq. 561, 563, 568.*

l) PHILIPPVS III. cum duos Francisci discipulos ob praedicatam publice protestantium fidem ad supplicium intrepidus produci videret, continere se non potuit, quin, misericordia motus, pronunciaret: Infelices omnino homines, qui puniuntur ob fidem, de cujus certitudine convicti sunt! Quae cum Inquisitoribus denunciata essent, sententia in Regem, habita longa deliberatione, lata est, ut venam secandam curaret, missoque sanguine, a carnifice postea comburendo, offensam justitiam tantisper placaret, & quod meritis esset, vivi comburii supplicium ita a se averteret. Vid. *Journal Liter. T. V. P. II. p. 288. sq. Histoire d'Espagne par DESORMEAUX T. IV. p. 225. COLMENAR, qui ad librum, Memoires de Rouffy, provocat, in annal. p. 261.*

m) *Gott seye dem gnaedig, der sein Hauß zu hinderst zu foerderst auskehrt, am Sonnabend ein weiß Hemd angezogen, und vor den Alen, Hasen, Caninichen und Schweinfleisch einen Abscheu hat. Er muß ein Jude seyn; mehr braucht man nicht, und geschwind vird der Scheiterhauffen angezündt.* Vid. *Itiner. eius T. I. pag. 319.* Relatio haec fidem conciliare potest & ei, quod ex IAC. CAPPELLI libro, *Livrées de Babel*, dicto, de Hispanica Inquisitione assertit LEGERVS in *Historia Waldensium p. 1573.* *Wenn einem bey Begegnung des*

§. 29.

Tribunal hoc, quamvis omnibus sanæ politicae regulis adversum, & felicitati incolarum non uno ex capite infestum n), tantam sibi potestatem arrogare potuisse, vix quisquam mirabitur, qui subsidia, stabiliendo huic tribunali adprime inservientia, consideraverit. Primo enim Rex, quod satis superque notum est, ad defendendam quocunque modo inquisitionem iuramento obstrictus est o): Deinde ipsi etiam Nobiles, propria utilitate commoti, eandem omni modo tuentur p). Accedit, quod non ultimum est, extimescenda plebis superstitio & Clericorum utilitas.

§. 30.

Scharffrichters von der Inquisition die Haut schaudert, oder er dem Henker nicht frey unter die Augen sehen kann, ist solches schon Beveiß genug, daß er ein Kaezer sey.

n) Vid. *Abrége Chronologique de l'Histoire d'Espagne & de Portugal a. 1765.* qui liber id ex parte egregie demonstrat. Inter alia ita infit: *Les Espagnols perdirent par la crainte des buchers, dont ils étoient environnés, la franchise de leurs mœurs, la gayeté de leur caractère, la liberté & la vivacité de leur Esprit, & devinrent silencieux, défiants & soupçonneux.*

o) Formulas quasdam eiusmodi iuramentorum, in actibus fidei imprimis solennium, exhibet BACKERVS l. c. p. 773.

p) *Pour obliger toute la Noblesse à maintenir cette invention, on a donné de grands Privileges à tous les Gentils-hommes qui veulent se faire familiers, qu'ils appellent de la sainte Inquisition, dont la fonction est de servir & prêter main forte pour prendre les accusez, & les mettre en prison; car il y a celà de particulier, qu'ils les menent en prison & au supplice, sans que le condamné soit lié; mais il est tellement environné de Gentils-hommes, qu'on n'a que faire de craindre qu'il s'échappe. Mais aussi ce cruel Ministère leur apporte beaucoup d'avantage, & un Gentil-homme familier de l'Inquisition peut après celà faire toutes les plus mechantes actions du monde, tuer, assassiner, violer; sans qu'il luy en arrive du mal. Car dès qu'on le veut faire prendre, il se reclame tout aussitôt de l'Inquisition, où il a ses causes commises, & il faut aussitôt, que toute autre Jurisdiction cede, car celle-cy a les mains plus longues que les autres. Les Inquisiteurs entreprennent donc ce procès, & le familier ne manque point aussitôt de se faire escroûer prisonnier de l'Inquisition, & après celà il ne laisse pas de se promener par tout; sortir de la Ville, & faire comme s'il n'étoit pas prisonnier, pendant qu'on fait tirer le procès en longueur pour le mettre en accommodement. Mais ceux qui ont de méchantes affaires sont bien aises de demeurer des dix années, & quelques fois toute leur vie prisonniers de l'Inquisition. Vid. *Etat d'Espagne* p. 86. 87.*

§. 30.

Neque vero in homines duntaxat, sed & in libros typis exscriptos sese extendit illimitata Inquisitionis potestas. Testantur id *indices*, qui vocantur, *expurgatorii*, qui diversis temporibus lucem aspexerunt publicam. Nec id abnuat auctor *der lehrreichen Nachrichten für einen Reisenden*, scriptor licet pontificius, nec ab inquisitionis instituto alienus. Observat enim *loco cit. part. II. p. 205.* „Mirum in modum invigilare inquisitionem opprimendis bonae notae libris, & amovendis rebus omnibus, quibus prudentior reddi posset populus; eamque ob causam semper aliquid illam, quod praetextat, excogitare, ut libros, ab exteris conscriptos, suos faciat, licet de religione plane non agant.“ q) Interim tamen, cum, posthabita Regis permissione, ante aliquot annos librum prohibere auderet Supremus in Hispania Inquisitor, solenni Rex edicto r), teste CLARCKIO, non potestatem modo hanc limitavit, sed & ipsum Inquisitorem ob temerarium ausum per milites in remotum quoddam coenobium relegandum curavit. Addit laudatissimus vir, per integros sedecim annos nullum celebratum esse fidei actum. Utinam, quod scriptor hicce Anglus de excidio tribunalis huius, per tot iam annos saevientis, vaticinatus est, in suum iam abiisset complemen-

q) Confirmat hoc suo testimonio CLARKIVS: *Es ist leider eine gewisse Wahrheit, daß ihr blinder Eifer in Religions-Sachen viele schöne Denkmale der heidnischen Gelehrsamkeit und des classischen Alterthums zu Grund gerichtet habe. Gleiche Wuth wird noch immer durch die Haende der Moenchen und Inquisitoren fortgesetzt, man streicht ganze Blaetter aus, reißt Vorreden heraus und verbietet, unterdrückt und verbrennet ganze Bücher, vveil sie vvider den Catholischen Glauben sind. l. c. p. 99.*

r) *Es soll der Generalinquisitor vveder in noch aufferhalb seines Gerichtshofes keine Verordnungen noch Expurgatorien bekandt machen, obne mir davon vorher durch den Secretaer der Ausfertigungen von Gnade und Gerechtigkeit, oder vvenn er von mir entfernt seyn sollte, durch den Staats-Secretaer Nachricht ertheilt zu haben, und auch eber nicht, als bis er meine Einwilligung zur Antwort erhalten. Und endlich, daß ebe ein Buch oder eine Schrift von dem Grossinquisitor, oder dem Inquisition-Gerichte verdammet vverden kan, so sollen sie die Vertbeidigung desjenigen, den es angehet, hoeren, und ihn derwegeu vorfordern lassen, nach der Vorschrift, vvelche Pabst Benedict XIV. in der Apostolischen Verordnung, vvelche sich anfaengt: Sollicita ac provida &c. der Inquisition gegeben hat. Vid. CLARKIVM loc. cit. p. 351.*

mentum. Sed persistit adhuc, & vereor, ut institutum, tot fulcris innixum, in Hispania tam cito dirui possit & sufflaminari.

§. 31.

Uti caeca superstitione, ita inquisitio etiam cum Hispania communis est *Lusitaniae*, & prostant in hoc regno similia, tum crudelitatis, tum potestatis, nullis circumscriptae limitibus, exempla, eaque satis multa. Inter plurima ad unum provocamus exemplum impietatis in Regem IOHANNEM IV. & patriam commissae, ex quo satis clare apparet, Supremum huius temporis Inquisitorem detestandae contra Regem conspirationis aut complicem fuisse s), aut certe eam, prout debebat, Regi non indicasse t).

§. 32.

s) Enarrabimus historiam detestandae huius conspirationis verbis illustris GEBAVERI, quae ita se habent: *Der Primas von Portugall, der Großinquisitor und die Judenschaft, deren man einen freyen Gottesdienst versprochen hatte, tratten in eine Verschwörung vvider den König zusammen. Den 5. Aug. 1641. sollten die Juden den königlichen Pallast an vier Orten anstecken, auch in der Stadt hin und vvider Feuer einlegen, daß das Volk etwas zu thun habe. Sodann sollen die Verschworene den Pallast angreifen, als vvenn sie löschen vvollten, den König erstechen, die Königin aber und ihre Kinder gefangen nehmen. Zu gleicher Zeit sollten einige die Flotte im Haffen anzünden, der Ertzbischoff aber und der Großinquisitor vvollten sich mit allem ihrem geistlichen Gefolge und Gesinde auf der Straßen finden lassen, und das Volk überall mit der Inquisition bedraeuen.* Vid. laudatissimi GEBAVERI elegantissimam *Lusitaniae historiam*, germanico fermone editam, P. II. p. 85. Add. MANVEL DE FARIA Y SOUSA *Historia del reyno de Portugal* p. 395. & Abbas VERTOT in *Revolucionibus Portugalliae* p. 116.

t) Vid. laudatus GEBAVERVS l. c. pag. 89. not. (e), & IO. BAPTISTAE BIRAGINIS *Historia delle Rivoluzioni del reyno du Portugallo* p. 457; *Abregé de l'Histoire de Portugal.* p. 193. Aliud affert impietatis in Regem exemplum COLMENARIUS l. c. p. 268. - 271. quod ita se habet. Publico edicto cum Rex iis, qui in vincula Inquisitionis conicerentur opes adimi vetaret, obtinuerunt a romano Pontifice Inquisitores, ut Breve exararet, quod Inquisitorum bona publicari iubebat. Rex, dolis circumventus, publicationi ipse interfuit, lectoque eo Inquisitores interrogavit, cuiusnam usui publicata haec bona infervirent? Cui cum Inquisitores responderent, ipsius futura esse, Rex dixit, patiar ergo, ut Praefidi romano obediam, bona haec publicari quidem: Sed cum mea sint, ut inquisitis dono iterum dentur, praecipio. Hinc ab Inquisitoribus, quod Pontificis Breve delusisset, pro excommunicato habitus & post mortem, persuasa ab eis Regina, ostentandae ipsorum auctoritatis gratia, ab excommunicatione solutus.

§. 32.

Formidandum semper fuit tribunal hoc in Lusitania blasphemis & de Sodomiae crimine, ad quod Lusitani imprimis proclives sunt v), suspectis, maxime vero iis, qui, variis, iisque iniustis, modis coacti, Iudaicam religionem cum Pontificiis sacris commutarunt, & quorum sub *novorum Christianorum* nomine ingens in hoc regno numerus est, qui externe quidem christianam profitentur religionem, clam vero & in corde pristinam x) retinent. Quamvis vero hi homines tum Regum iussis & intercessionibus, tum ipsorum Pontificum romanorum mandatis paululum aliquando a crudelitate Inquisitorum fuerint liberati, nunquam tamen diu desierunt esse & avaritiae & crudelitatis eorum victimae y), & prout ex libello quodam supplice, Romano Pontifici a. 1680. oblato, apparet, numerus eorum, qui tum temporis in vinculis inquisitionis detinebantur, erat circiter quingentorum. z)

§. 33.

v) Vid. auctor modo adlegatus *der lehrreichen Nachrichten P. I. p. 139.* ubi addit; *diejenigen, die in Rom gewesen, sind diesem Laster am meisten zugethan, und stecken viel andere damit an.*

x) Vid. ILL. GEBAVERS l. c. p. 131. ubi haec leguntur verba; a. 1497. *wurden alle Kinder unter 14. Jahren denen jüdischen Eltern mit Gewalt entrisen, und in dem christlichen Glauben erzogen. Viele ersaeufften ihre Leibesfrüchte, andere brachten sich selbst um, die übrige wurden von neuem in die Knechtschaft verstoßen, und also gediehen die meiste zu Christen, doch so, daß sie dabey Juden im Herzen blieben, auch in Geheim ihren Aberglauben auf ihre Kinder und Kindes-Kinder fortpflanzten, so, daß noch bis auf diese Stunde alles in Portugall voll heimlicher Juden ist. Conf. OSORIVM de reb. EMANVELIS Lusit. Regis. L. I. p. 7.*

y) *S'il arrive que le mari & la femme soient pris dans le même tems, leurs enfans, si ils en ont, restent dans un abandon si déplorable, qu'on a très souvent vü des enfans de trois ou quatre ans contraints de demander l'aumône, & de se retirer sous les portiques des Eglises, sous des auvents, ou dans des fours publics: & ce qui est encore plus digne de pitié, c'est qu'il n'est que trop ordinaire, que de jeunes filles très bien élevées, & très sages se perdent & se prostituent, forcées d'en user ainsi, ou par l'horrible nécessité où elles sont reduites, ou à cause du mépris, auquel elles sont exposées par le malheur de leur naissance. Vne infinité de femmes mariées, auparavant très vertueuses, ont fait le même naufrage depuis la detention de leurs maris. Sunt haec verba COLMENARII l. c. p, 285, 286.*

z) Vid. LIMBORCH. loco citato p. 90-93.



§. 33.

Quantam nostro adhuc seculo & crudelitatem & potestatem exercuerit inquisitio Lusitana, testatur allegatus auctor *der lehrreichen Nachrichten*, de eo imprimis querens, quod in hoc regno cuiusvis scientiae, quae vulgum latet, magiae nomen imponatur, & quod unicuique, qui indagandae naturae aliisque phaenomenis curiosis operam suam navat, periculum immineat, ne apud Inquisitores tanquam homo, commercium cum Diabolo habens, deferatur, & in vincula coniiciatur. Afferit idem, plebem adeo esse superstitiosam, ut in actibus fidei, ad ostentandam, qua inquisitionem prosequatur, venerationem, non minorem prodat zelum & furorem, quam bacchantes olim in Bacchi festo. aa)

§. 34.

In exteris Regis Lusitaniae terris Inquisitioni tribunal erectum est *Goae*, iurisdictionem suam in omnes extendens regiones, quas ultra *bonae spei promontorium* non exiguas possident Lusitani. Praeceptum est hic, non tantum sub poena excommunicationis, quam vocant maioris, sed & sub comminatione poenae, ei statutae criminis, quod in alio non revelaverint, ut singuli, qui criminis ab alio commissi habent cognitionem, intra XXX. dierum spatium, inquisitioni denuncient, quicquid earum rerum vel audiendo vel videndo perceperint, quarum cognitio ad illam pertinet. Hinc saepius fieri solet, ut amici amicos, parentes liberos, liberique parentes prodant perdantque: nec minus delictum est, admonuisse prius amicos, quam apud tribunal deferrentur. Nunquam committuntur testes cum accusatis, & testium loco ii etiam adsciscuntur, quibus nonnisi per quaestionem extortum est testimonium, & qui vitam aliter servare non poterant, nisi faterentur, quod nunquam

aa) *Es ist schwer, daß ein Fremder durch die Menge des Volks kommen kan, ohne daß nicht der Gemeine Poebel einige Schimpfvorte zwischen den Zaehnen bermurmeln sollte, welche überhaupt soviel sagen wollen, dieser Kaezer sollte auch auf dem Scheiterhauffen liegen. Sie begleiten die unglückliche, welche verbrannt werden sollen, gemeiniglich mit tausend Verfluchungen, und wann einer unter den Zuschauern eine betrübte Mine dazu macht, so schreyen sie gleich bald: Siehe, er beklagt seine Brüder, fort zum Scheiterhauffen mit ihm. Man hoert die eifrige von allen Seiten schreyen: Che gran clemenza! Bente sey il sant officio! Utimur heic verbis auctoris allegati p. 157.*

quam factum est. Requiruntur quidem septem testes, sed inter hos continetur & ipse accusatus, cui per tormenta expressa est confessio criminis, nunquam saepe commissi. Ei, qui ante supplicii diem coniecti in se criminis reum se profitetur, exponendae sunt minutissimae peccati circumstantiae; nominandi porro accusatores, & complices. Hinc non raro accidit, ut ad servandam vitam cognatos, amicos, vicinos aliosve deferant, plane innocentes; quod vero sufficit, ut hi comprehendantur, tamdiu in custodia detinendi, donec septem contra ipsos possint testes allegari, istique tandem ad ignis supplicium condemnari. Saevit tribunal hoc in novos potissimum Christianos, Iudaismi falso plerumque insimulatos, ita quidem, ut inter centum, qui comburuntur, vix reperiantur quatuor, in Iudaismo morientes, ceteris ad extremum usque halitum, Christianos se esse, & semper fuisse, frustra clamantibus. Ii vero, qui ab hoc tribunali mitissime habentur, infideles sunt & Mahomedani, qui non nisi exilio, fustibus, aliave poena castigantur, quamdiu suam colant religionem. Hinc, cum a Christianis ignis supplicium sumatur, multi hac ratione deterrentur, ne ad Christianam se conferant religionem bb).

§. 25.

Refert quidem saepe iam allegatus auctor *der lehrreichen Nachrichten* cc), mitigatam esse saevitiam Lusitanae Inquisitionis a Rege Io-

bb) Vid. Auctor libri: *Relation de l'Inquisition de Goa*, Paris 1688. Non me latet, auctorem hunc, quem *Dellonium* nonnulli dicunt, a P. LABATO in fraudis suspicionem adduci, quod se aliquando demonstraturum esse promisit quidem, sed non praestitit. Interim, si alias relationes, & speciatim ea consulas, quae de P. EPHRAIMO, ab hac inquisitione in vincula coniecto, in *itinerario* suo refert TAVERNIERIVS, intelliges, *Dellonio*, deceptoris notam a LABATO perperam inuri. Vid. TAVERNIERII *Voyage des Indes* ch. XV. p. m. 154.

cc) Vid. p. 139. sq. & 152. ubi ita: *Der Koenig IOHANNES V. hat Mittel gefunden, der Bosheit der Glaubens-Untersucher in seinem Koenigreiche Graenzen zu setzen. Diese geizige und rachgierige Leute wendeten vor diesem ihre ganze Gewalt wider die Geistlichen an, die ihnen verbaßt waren, oder wider die Layen, welche sie als ihre besondere Feinde ansahen. Interim tamen ea, quae passim affert auctor, contrarium potius ostendunt. v. c. p. 193. ubi haec leguntur verba: Die Inquisition hat zu Coimbra alle ihre Gewalt erhalten, und die Glaubens-*

IOHANNE V. iubentis, ut omnia Inquisitionis decreta, antequam executioni mandentur, consilio suo secretiori subiiciantur, reis advocati concedantur, nullusque peregrinus sine eius permissione in carcerem detrudatur, nisi per legitima septem accusatorum testimonia delatus fuerit. Sed tribunal hoc maxime rigorosum adhucdum est, licet immortalis gloriae minister, Comes AB OEIRAS, ut Lusitanicae testantur relationes, omnem prudentiam politicam ad infringendos huius tribunalis nervos applicet dd). Optandum sane fuisset, ut & ipsum hoc tribunal, cum domus eius in nupero terrae motu prima concidisset, in suis sepultum fuisset ruinis.

§. 36.

Multus in laudandis Inquisitionum *Italicarum* tribunalibus est LABATVS, inprimis mitiorem, quem illis adscribit, agendi modum extollens. Quodsi vero ad furorem Inquisitorum contra PETRVM PAVLVM VERGERIVM, aliosque ee) exercitum; ad seditiones populorum

Bre-

Untersucher sind daselbst sehr mächtig. Ich erschrock über einen Baquay, welchem aus dem Schubsacke seiner Beinkleider ein Dolch und Sackpuffer heraus guckte, dergleichen sich kein Mensch in Lissabon zu tragen unterstehen darf. Ich bezeugte meine Verwunderung gegen einen alten Franzosen, der sich daselbst niedergelassen hatte; und er gab mir zur Antwort: daß es ein Bedienter des Gros-Inquisitors vvaere, vvelcher vwohl noch vvas aergers thun koente, ohne daß sich iemand unterstehen dürfte, etvvas dagegen zu sagen.

dd) Conf. celeberrimus ACHENWALLVS in *Statistica sua* ed. ann. 1763.

ee) Inquisitor GRISONIVS, contra VERGERIVM missus, ubi Polam ac Iustino-polim venisset, in civium aedes irruit, & si quos haberent libros prohibitos, investigabat. Deinde, cum pro concione multa dixisset, Pontificium fulmen emisit in eos, qui de Lutheranismus suspectos non accusarent. Iis tamen, qui redirent ad sanitatem, & ultro veniam ab ipso peterent, leviolem poenam promittebat. Qui vero non sponte patefacto crimine, post ab aliis accusarentur, in eos igni sese vindicatorum affirmabat, & singulas domos ingressus, territabat omnes. Itaque reperti sunt nonnulli, qui se accusarent ipsi, ac pleni formidinis nihil detrectarent. Ex iis, qui lautiores erant, privatim, humiliores autem publice coacti sunt errorem suum testificari. Qui novum testamentum, lingua populari scriptum, ab se lectum esse fatebantur, eos gravissimis verbis, ut in posterum abstinerent, deterrebat. Deinde promiscua multitudo, timore percussis animis, deferebat quosque certatim, nulla neque propinquitatis, neque necessitudinis aut beneficiorum habita ratione: non Parenti filius, non uxor marito, non cliens patrono, parcebat. Delationes autem erant plerumque

Bresciae, & post mortem PAVLI IV. Romae ob crudelitatem tribuna-
lis huius motas ff); ad approbatum scelus CLEMENTIS CHASTELLI
nefarias Galliae Regi, HENRICO IV. manus admoventis, combu-
stumque, quod id detestabatur, Parlamenti Parisiensis decretum gg);
ad processum FRANCISCI LEOPOLDI a REISING hh); ad Inquisitionem

rumque de rebus frivolis, ut quisque forte aliquid ob superstitionem in aliquo reprehenderat. Addit tandem SLEIDANVS, cuius haec sunt verba, Grisonium, missam celebrantem, ad populum dixisse, nullam aliam subesse causam, quod per aliquot iam annos nunc oleae, nunc segetes, modo vineae, modo pecudes aliaeque facultates graviter affligerentur, nisi episcopum & reliquam haereticorum turbam: nec esse, quod levationem ullam sperent, nisi coerceantur: proximum autem esse, ut facto impetu lapidarentur. Vid. SLEIDANVM in *Comment. de statu relig.* p. 361. edit. quae a. 1555. prodiit, hodieque rarius occurrit. Est nobis ad manus illud huius editionis exemplar, cui ipsemet VERGERIVS nomen suum inscripsit.

ff) Historiam huius seditionis hisce verbis edisserit THVANVS ad a. 1559. p. 449. „animam iam agente PAVLO IV. apertae sunt statim vetere instituto omnes „urbis custodiae, & a furente populo, qui per urbem, quasi lymphata mente, „discursabat, incensus est carcer novus inquisitionis, iis, qui eo attinebantur, „emissis, vixque prohiberi plebs poterat, quin incendium in Dominicanorum „aedem ad Minervam intentaret, odio inquisitionis, cui exercendae illi a Pon- „tifice praepositi fuerant. Nec satiatum ea re odium, nam statim quorundam „impulsu in Capitolium impetu ab amenti plebe facto, caput cum dextra ma- „nu eius statuae, quae in Palatio e marmore pario, a S. P. Q. R. magno sum- „tu posita Pontifici fuerat, praecisum, ac toto triduo per urbis vias summo „ludibrio provolutum est. „

gg) Vid. LAVNOJVS *Oper. T. V. P. I. p. 280.* ubi ita: „Superiori anno Ro- „mae prodiit certa quaedam nova censurarum inquisitionis collectio, in qua „cum horrore legitur Parisiense Senatus consultum, quo IOANNES CHASTELLVS, „parricida nefandissimus, damnatur; quo modo Inquisitores, Christianarum „institutionum rudes, divinam legem funditus evertunt, & sicariis viam ad „interficiendos . . . horreo scribere, patefaciunt, atque ethnicos ab ample- „ctenda Christi religione deterrent. „ & P. II. p. 333. ubi addit: „Censurae „consilium se sponte obicit, Inquisitores decreto suo IAC. CLEM. IO. CHA- „STELLVM, CAR. RIDICOVIVM, & PETR. ARGERVVM, parricidas „omnes, ab infamia supplicii liberant, & religione solvunt alios, qui vellent „vindictos & famae restitutos homines imitari. Pro nefas! non defuit, qui „post menses 7. & dies 24. imitaretur. „

hh) Vir hic nobilis, *Graecii in Styria* oriundus, atque sodalitati Iesuitarum ad- scriptus, in carcerem inquisitionis Romanae amandatus est, ibique pessime ha-

nem *Sardinicam*, Waldenses superiori seculo misere vexantem ii); denique si ad iniustissimum contra MOLINOSIVM processum kk) & relationem (si credere fas est) BOWERI in *historia Pontificum Romanorum* animum adverteris, facile intelliges, tribunalia Inquisitionis Italica per varios temporum decursus iniustitiae & crudelitatis luculenta edidisse specimina.

§. 37.

Quanta sanguinis vis in *Germania* per Inquisitionem, vix introductam, fusa sit, ALBERICVS, Monachus Cisterciensis, testis est, qui in *Chronico ad ann. 1233. p. 543.* ita scribit: „per Alemaniam facta est tanta haereticorum combustio, quod non possit numerus comprehendi. Horum accusatio paulatim coepit ascendere a rusticis ad Burgenfes honorabiles & eorum uxores, inde ad Castellanos & nobiles, & in fine ad comites, prope & longe positos.„ Adiungimus huic testimonio aliud, quod in *Chronico Hirsaugiensi* legitur. Ibi enim de iis, qui haereseos suspecti videbantur, inter alia dicitur: „hos frater CONRADVS DE MARPVRG,

„Inbitus, quod libros Lutheranorum, inprimis CHEMNITII *librum de Concilio Tridentino* sine permisso in cubiculum ex Bibliotheca coenobii sui transportavit. Vid. *Sammlung von alten und neuen Theol. Sachen in a. 1723- p. 27. sq.*

ii) Vid. LAGERVS in *Hist. Waldensium* p. 805 - 810. quo in loco ex statutis Sabaudicis ea affert, quae ad inquisitionem spectant.

kk) Vid. DE MOLINOSIO libellum supra allegatum, cui index *Trois Lettres touchant l'Etat present d'Italie*. Vir hic tum ob eruditionem, tum ob morum pietatem ab universo orbe literario tanti habitus est, ut numerus epistolarum ad ipsum scriptarum ad 20000 adscenderet. Ipse Pontifex INNOCENTIVS IX. variis testimoniis suum ipsi favorem declaravit, & peculiare domicilium suo in palatio ipsi assignavit. Sed cum doctrina eius Patribus e Societate Iesu & Dominicanis exitiosa visa esset, hique nihil non agerent, ut eum perderent, derelictus a Patronis suis, tandem ad Inquisitionis tribunal a. 1684. raptus & ad perpetuum carcerem damnatus est. Neque tamen frangi mens eius potuit. Memoratu digna sunt verba eius ad sacerdotem, cum iam perpetuae custodiae includendus erat, facta: *Vale, mi pater, videbimus nos iterum die iudicii, & tum manifestum fiet, a cuius partibus, mea an vestra, veritas steterit.* Communicavit mihi, qua est in me benevolentia, Cel. Dn. Prof. LEBRET MOLINOSII Processum ex *Archivo Romanae Inquisitionis* ad Cardinalem SPADAM missum, ex quo, cum iniustitia tribunalis huius in Molinosium luculenter appareat, praecipua eius contenta heic enarrarem, nisi brevitatis mihi habenda esset ratio.

„ *Inquisitor apostolicus*, iudicio ferri candentis, si negassent haere-
 „ sin, probare consuevit, & quos ferrum exussisset, velut haere-
 „ ticos iudicio seculari tradere comburendos. Unde, paucis ex-
 „ ceptis, omnes, qui semel essent accusati, & ad eius examen per-
 „ ducti, per eum ad rogam condempnabantur. Fuerunt, qui cre-
 „ derent, eum plures innocentes damnasse; propterea quod fer-
 „ rum candens a peccatis nullum reperisset immunem, etiamsi nul-
 „ lius haeresis macula infectus exstisset. „ Nonnullis interiectis
 „ ita pergit auctor huius chronici: „ Multos neque sexus, neque
 „ dignitatis habita ratione ab eodem per diversa Teutoniae loca
 „ ignis supplicio, nimisque praecipiti sententia, ut multis tunc
 „ fuerit visum, damnatos esse. Eodem enim die, quo quis accu-
 „ satus five iuste five iniuste, nullius appellationis & defensionis
 „ sibi refugio proficiente, damnatos & crudelibus flammis iniectos
 „ esse. „ II) Addendum denique, quod ALBERICVS refert: „ Ita CON-
 „ RADVS agendum statuit, ut testium dictis simpliciter crederetur,
 „ ita, ut semel accusato talis daretur optio, aut sponte confiteri &
 „ vivere, aut innocentiam iurare, & statim comburi. Et ecce,
 „ falsos testes ab haereticis, ut credimus, subornatos adduxit ini-
 „ micus. Magister nulli, quantumvis altae personae, locum de-
 „ dit legitimae defensionis, nec etiam confiteri proprio sacerdoti,
 „ sed accusatum oportuit confiteri, se haereticum esse, bufonem
 „ tactum, pallidum virum & huiusmodi monstra pacis osculo salu-
 „ tasse. Taliter quidam Catholici abiudicati maluerunt innocentes
 „ cremari & salvari, quam mentiri de crimine turpissimo, cuius
 „ non erant conscii, & supplicium promereri, quibus ipse Ma-
 „ gister Martyrium promittebat. Alii infirmi potius elegerunt men-
 „ tiri, quam comburi, quibus tamen oportuit sculam nominare, &
 „ respondebant: Nescio, quem accusem, dicite mihi omnia, de qui-
 „ bus suspicionem habetis; cumque proponeretur de comite Stei-
 „ nensi, de comite Aneberg, de comitissa de Loz, respondebat
 „ evadere volens, illi ita rei sunt, ut ego & illi in scolis fuerunt,
 „ ut ibi fui; & sic frater fratrem, uxor virum, Dominus servum,
 „ accusavit. Alii dabant pretia tonsuratis, ut docerent modum

„ eva-

II) Vid. PHILIPPI MORNÆI liber de *Myſt. iniquitatis seu Historia Papatus.*
 pag. 326.



„evadendi, & facta est confusio a feculis inaudita. Tandem
 vefanus hic homo, frustra ab Archiepiscopo Moguntino moni-
 nitus, cum crucem ibi publice praedicaret, interfectus est mm).
 Sub ipsis reformationis primordiis vehementer adhuc saeviebat in
 Germania Inquisitio. Hi, qui tum temporis officium exercebant
 Inquisitoris, non superstitionem modo in Ecclesia, sed & barba-
 riam in scholis conservare vehementer amisi sunt. Hinc bel-
 lum REVCHLINO indictum ob reductum graecae & hebraicae lin-
 guarum studium nn). Inquisitioni reformationem in Germania finem
 fecisse, supra iam annotavimus.

§. 38.

Inquisitionis, cum vix invecta fuisset, crudelitatem graviter
 quoque experti sunt *Belgae*, uti ERASMVS testatur, inquiens:
 Jam gladius datus est duobus acerrimis bonarum litterarum osori-
 bus, HVLSTO & EGMONDANO. Homo, cui male volunt, ra-
 pitur in carcerem: Ibi inter paucos transigitur negotium, & inno-
 xius debet indigna pati, ne quid illis decedat auctoritatis. Ubi
 tota aberratum est via, clamant, favendum est negotio fidei. Pri-
 mum coniciunt hominem in carcerem, ac post quaerunt, quae
 obiiciant oo). Cum vero, iubente magno illo inquisitionis promo-
 tore, PHILIPPO II., sanguinarius Dux D'ALBA inquisitionem,
 cuius vel nomen exhorrescebant *Belgae*, vi & armis institue-
 re anniteretur: longe gravioribus afflicti sunt calamitatibus,
 senibus, iuvenibus, viris, mulieribus, puellis, sine ullo digni-
 tatis, aetatis, aut sexus discrimine, passim ad laqueos, enses,
 rogos, aliaque supplicia raptis, uti scriptores huius temporis tan-
 tum non omnes testantur pp).

CAPVT

mm) Vid. b. WEISMANNI *Hist. eccl.* T. I. pag. 1033.

nn) Vid. BOEHMERVS in *iure eccl.* T. IV. pag. 975.

oo) *Epistolarum* L. XXI. & XXX.

pp) Vid. THVANVS L. XLI. p. 758 - 815. & FERRERAS *Geschichte von
 Spanien, neuntes Band.* p. 550. 571. sq. a quo alii etiam adducuntur auctores,
 qui, licet Hispani, nimiam tamen truculenti huius belli ducis crudelitatem
 improbarunt.

CAPVT IV.
 QVOD NOSTRAM DE INQVISITIONE ROMANA
 EXHIBET ΕΠΙΛΟΓΗ.

§. 39.

Edifferuimus haecenus praecipua momenta ad historiam inquisitionis pontificiae spectantia. Superest, ut praxin ecclesiae Romanae doctorum, eos, quos in religionis negotio errare arbitrantur, quibusvis poenis, iisque dirissimis subiicientium, examini theologico subiiciamus. Supervacaneum quidem hoc ipsum, quin cum iniuria quadam lectorum coniunctum fortassis videri posset, cum quivis, rem aequa iudicii lance expendens, ipsemet facile perspicere queat, eos, qui horrendam Inquisitionis praxin exercent, prima iuris divini aequae ac humani principia violare. Unde & IO. BARBEYRACIVS in notis gallicis ad PVEENDORFFII *ius naturae ac gentium*, occasione inquisitionis hispanicae luculenter ostendit, recte omnino facturos Christianos, si de exterminandis horrendis illis tribunalibus seria inirent consilia. Et sane, si animo perpendamus innumera illa mala, quae per Inquisitionem florentissimis regnis illata sunt, facile iis nostrum adiciemus calculum, qui aiunt, illam generi humano plus nocuisse, quam haereses quasvis, easque teterrimas. Quae licet per se clara sint, pauculas tamen observationes, ex principiis theologiceis cumprimis deductas, haec subiungemus.

§. 40.

Observamus itaque I) eam religionis Christianae esse naturam atque indolem, ut omnem violentiam *externam*, in poenis temporalibus consistentem, prorsus excludat, nec aliam admittat vim, quam *spiritualem* illam, quae in potenti veritatis demonstratione animique errantis convictione consistit. Pertinet enim religio non ad corpus, sed ad animam, omni vi externa & corporea superiorem, quaeque per naturam suam velle, quod nolit, & quod velit, nolle nequit. Unde & II) in mentem hominis eiusdemque conscientiam, ad quam religio, fides, pietas pertinet, nemo plane mortalium, imperium sibi arrogare potest qq). *Non dominamur fidei vestrae*, PAV-

LVS

qq) Uberius hoc ostenderunt, qui de libertate conscientiae data opera commentati sunt, veluti IO. LOCKIVS, GERHARDVS NOODT & imprimis PETRVS BAYLIVE

LVS ait II. Cor. I. 24. *Unus est legislator atque iudex, qui exstirpare potest & perdere. Iac. IV. 12.* Fides nimirum in actu interno tota consistit; actus vero interni humanae coactioni haud subsunt, sed solius Dei imperio. Proinde nec ad homines spectat, in eos vindictam exercere, qui in fidei rebus errant, cum Deus, Supremus omnium Iudex, hocce ius sibi soli reservaverit, in die demum novissimo ab eo exercendum. Addimus III) tantum abesse, ut violentia externa homines, vi veritatis nondum convictos, religiosos efficiat, ut potius hypocritas, incredulos, turbulentos efficere apta sit; quod experientia, locuples testis, abunde confirmat. Nec, quod IV) notamus, Christus in parabola *Matth. XIII. 24-31.* PER ZIZANIA quosvis improbos, sed ea duntaxat, quae in agro ecclesiae germinant, *haereticos* rr) *cum primis & hypocritas* designat, eradicari voluit, ad-
dita

in libro, qui inscribitur, *Pensées sur les Cometes*, P. I. §. 86-88. p. 158. sq. inque tractatu, cui titulus: *Commentaire philosophique sur ces paroles de Jesus-Christ: contrain-les d'entrer, ou traité de la tolerance universelle.* Neque vero negandum, BAYLIVM in ultimo, quem nominavimus, libro iura conscientiae errantis nimis generaliter atque hinc quoque minus accurate adstruxisse, quod egregie observavit Summe Rev. D. D. SCHOTT, patronus meus pie de-
verendus, in dissert. *de Conscientia errante eiusque obligatione & iuribus Tub. a. 1763. p. 22. sq.*

rr) De *haereticis* haec Servatoris verba exposuerunt ex veteris Ecclesiae doctoribus HIERONYMVS, AVGVSTINVS, CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS atque EVTYMIVS, quorum vestigia heic secuti sunt THOMAS DE AQUINO, STAPLETONVS, IANSENIVS, BECANVS, alii. Discedunt tamen ab hac sententia plerique coetus Romani, quin & Reformati Doctores, qui per *zizania* generatim *impios* notatos arbitruntur. Vid. ex illis BELLARMINVM *de Laicis* l. III. c. XXII: ex hisce vero *Frid. SPANHEMIVM in vindiciis ad b. l. oper. iunctim editorum tom. III. p. 314. sq.* Sed conferri omnino meretur, qui nostram heic adoptavit sententiam, IO. HENRICVS HEIDEGGERVS *tom. III. dissert. select. num. XVIII. de conversione violenta errantium §. 24. sq. p. 739. sq.* ut complures alios iam non commemoremus. Haereticos vero maxime per *zizania b. l.* indigitari, patet ex sequentibus. 1) quia de eiusmodi malitiae filiis heic sermo est, qui extra ecclesiam haud conspiciuntur, sed in ipso ecclesiae agro sati sunt. 2) quia femini *bono*, a Christo sato, quod est verbum Dei fideique doctrina, opponitur semen *malum*, ex quo progerminant errores atque haereses. 3) quia de eiusmodi *zizaniis* heic sermo est, quae non sine praecipuo quodam boni feminis periculo Ies. LXV. 8. subinde eradicantur; id quod in facinorosos haud quadrat, sed in haereticos. Nec sane, quod 4) notamus, generatim de omnibus facinorosis dici potest, eos non esse eradicandos; eos enim ob crimina ci-
vilia

dita ratione, ne colligentes zizania una cum iis triticum evellant. Idem Servator optimus V) Samaritanos propter religionis diversitatem, igne, caelitus depluto, consumi disertis verbis vetuit, discipulosque, nimio abreptos fervore, atque haereticorum vivicomburium meditantes, ad spiritus evangelici mansuetudinem revocavit, siquidem discipuli sint illius domini, qui non venit, ut perderet animas, quae vel coactae ad hypocrisim, imo atheismum quoque subinde prolabuntur; sed ut easdem servaret. *Luc. IX. 54. 56.* unde & VI) imparentes ecclesiae, cuiusmodi praeter alios sunt haeretici, ab ecclesia admoniti & correcti, non dirum in modum vexandos, non gladio plectendos, sed perinde ut *extraneum & publicanum haberi iussit, Matth. XVIII. 17.* & quod VII) notamus, Petrum, Apostolorum principem, qui praepostero percitus zelo, Malchi, vim Christo facientis, auriculam praecidit, severe castigavit, palam denuncians, perituros, quicumque zelo praefervido impulsus perdere alios aggredierentur, *reconde*, inquit Servator, *gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui gladio utuntur, gladio peribunt. Matth. XXVI. 52. ss)* Addimus VIII) quod Christus sanctissimis suis legatis ad gentes convertendas, docendi munus, ne utquam vero media coactiva demandaverit. *Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15.* Quam ob rem IX) apostoli in propaganda fide solo verbi divini praeconio, nulla vi externa, nullo suppliciorum metu iniecto usi sunt, non sane ea inducti ratione, quod ipsimet gravibus expositi erant persecutionibus, sed quod omnem violentiam externam genio Christianae religionis contrariam esse iudicabant tt). Nec quod X) notamus, aliam heic tenuere sententiam, qui, apostolis e vivis exemptis, ecclesiae Christianae praefuerunt, doctores atque antistites. Constat sane ex indubitatis antiquitatis momentis, eos, non ex defectu virium, sed ex propria Christianae doctrinae professione, a violenta religionis propagatione prorsus abstinendum esse, uno

vilia a magistratu politico extirpari posse, immo debere, vix quisquam dubitaverit. Vid. b. Cancellar. PFAFFIVM in dissert. de zizaniis non evellendis.

ss) Licet hoc Servatoris effatum in universum haud valeat, cum magistratus politicus licite utatur gladio contra facinorosos, hoc saltem in casu, quo gladius religionis causa stringitur, & hominibus propter religionem & Christum intentatur, valeat, oportet, prout recte monuit HEIDEGGERVS l. c. p. 745. 746.

tt) Vid. 2. Cor. X. 4. 2. Tim. II. 24.

uno veluti ore docuisse. Ita v. c., ut nonnulla saltem istorum doctorum effata, quae sententiam ecclesiae primitivae nobis pandunt, haec delibemus, **IGNATIVS**, antistes Antiochenus apostolorumque discipulus, *epistola ad Philadelphenses*, vel quisquis vetustus istius epistolae auctor est, oportet, inquit, *osores Dei & vos odisse, & super inimicos illius tabescere; non autem verberare, aut persequi illos, ut faciunt gentes, quae ignorant Deum & Dominum; sed pro hostibus habere tales, & ab iis segregari, eos tamen commonescere, & ad poenitentiam hortari, si forte manus dent, monitisque cedant.* Clemens enim est Deus noster & omnes homines vult salvare, & ad veritatis agnitionem venire. In eandem sententiam pronunciat **TERTULLIANVS** non uno in loco. **Ad SCAPVLAM** c. II. ita scribit: *Religionis non est, cogere religionem, quae sponte suscipi debet, non vi, cum & hostiae animo libenti exoptentur. Ita & si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil praestabitis Diis vestris. Ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sint. Contentiosus autem Deus non est.* Idem in *apolog. c. XXXVII.* egregie observat, potuisse tum temporis Christi sectatores se suamque religionem etiam apertis viribus armisque ferreis propugnare, verum id non licuisse. Notatu quoque digna sunt verba **CYPRIANI**, praefulis Carthaginensis, Seculo tertio clari, quibus haereticidarum repressit crudelitatem. Leguntur illa *epist. 3. ad Maximum Urbanum, Sidonium & Macarium*, atque ita se habent: *Apostolus in epistola sua scribit: In domo autem magna non solum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia sunt, & quaedam quidem honorata, quaedam inhonorata. Nos operam demus, ut, quantum possumus, laboremus, ut nos aureum & argenteum simus. Caeterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & soli virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo servus, neque quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vindicare potest, ut putet, aut ad aream ventilandam, & purgandam paleam ferre se iam posse, aut a frumento universa zizania humano iudicio segregare. Superba est ista obstinatio & sacrilega praesumptio, quam sibi furor pravus adsumit, & dum dominium sibi semper quidam, plus, quam mitis iustitia deposcit, adsumunt, de ecclesia pereunt.* Adiungimus vero Cypriano alium eiusdem aevi scriptorem, nimirum **FIRMIANVM LACTANTIVM**, qui, a religione vim omnem abesse debere, in scriptis suis passim docuit. Ita enim *instit. divin. l. V. c. XIX.* *infit. Non est opus vi & iniuria, quia religio cogi non potest. Verbis*

potius,

potius, quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Et, nonnullis interiectis, ita pergit: Quid ergo saeviunt? Ut stultitiam suam, quam minuere volunt, augeant? Longe diversa sunt carnificina & pietas; nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi. &c.

§. 41.

Hisce, qui aurea adhuc ecclesiae aetate floruerunt, Scriptoribus alios adiungimus, qui subsequenter vixerunt temporibus, ubi prima & simplex illa coetus Christiani forma in aliam paulisper speciem conversa est. Sufficiat ex ingenti eorum numero in scenam haec produxisse triumviros de ecclesia Christiana praecclare meritos, *Athanasium, Ambrosium, atque Augustinum.* Ad *Athanasium* quod attinet, illi cum primis res fuit cum *ARIO*, iurato divinitatis Christi hoste, a quo gravissimas ipse sustinuit persecutiones (v). Qua de re graviter passim in suis scriptis conquestus est (xx), infimulque quam iniqua sit vis, ob religionem illata, copiose comprobavit. Inter alia sic ille: *Caeterae haereses, demonstrationibus convictae ab ipsa veritate, tacite obmutescunt, nihilque agunt, nisi quod de convictione sua erubescant. Nova autem illa & execrabilis haeresis (Arianorum) cum rationibus subruitur, cum ipsa veritate pudefacta concidit, quos non poterat verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere nititur, atque ita se ipsam, quam non sit pia & Dei cultrix, manifestat. Piae enim religionis, ut dixi, proprium est, non cogere, sed suadere &c.* Nec aliena ab Athanasio fuit mens *AMBROSII*, qui in *Luc. c. X.* ita scribit, *Christum discipulos suos misisse ad seminandam fidem, qui non cogere, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent.* Denique ut de *AVGVSTINO* pauca adiiciamus, is in universum sanguinis errantium effusionem graviter abominatus est. *Lib. III. contra Cresc. C. XXX.* scribit inter alia: *Nullis placet hac in catholica ecclesia, si usque ad mortem in quempiam, licet haereticum, saeviatur.* Idem sub finem libri *contra Petilianum*, diligit, inquit, *homines, interficite errores, sine superbia de veritate praesumite, sine saevitia pro veritate certate. Orate pro iis, quos redarguitis atque vincitis.* Nec tamen negari potest, *AVGVSTINVM* senescentem, & contumeliis Donatistarum in transversum abreptum, in eorum vel tandem concessisse sententiam, qui violentiam quandam, veluti terrorem legum imperialium, multam pecuniariam, relegationem, sine effusione tamen sanguinis suaserunt. Legenda hanc in rem eiusdem ad *Vincentium* epistola, quam ecclesiae Gallicanae Clerus in Gallicum sermonem conversam, Parisiis a. *MDCLXXXV.* luci exposuit publicae. yy) Generatim id notandum ecclesiae quidem primitivae doctores uno veluti

v) Paucis haec notamus, Arianos fuisse primos inter Christianos, qui vi alios ad confessionem perversae doctrinae suae adigere voluerunt.

xx) Vid. imprimis eiusdem epistolam ad solitariam vitam agentes.

yy) Fuerunt ex protestantibus, veluti Petr. BAYLIVS & ELIAS SAVRINVS, qui sententiam AVGVSTINI senescentis de poenis, ab errantibus sumendis, secundum vulgarem persecutorum commentarium intellectam, vehementer exagita-

ore calamoque conscientiae propugnasse libertatem; sed eos, qui subsequentibus vixerunt temporibus, quibus religio christiana evasit dominans, rigidiora, quam par est, adoptasse principia, remque sensim sensimque eo fuisse deductum, ut dissentientibus in fide, tacentibus imo subinde urgentibus Episcopis, poenae civiles fuerint destinatae.

§. 42.

Hisce vero argumentis contra eorum sententiam adductis, qui haereticos adhibita vi ad religionem adigi, quin & capitalibus suppliciis coerceri posse statuunt, & illud haud immerito adiungimus, quod ex vulgari canonistarum dictorio, quod ecclesia sanguinem non sitiat, desumi potest 22). Quodsi enim ecclesia, prout docent iuris canonici doctores, horret sanguinem, cur Inquisitionis tribunal tanto opere in eos, quos vocat haereticos, saevit, magnoque cum fervore eorum fundit sanguinem? Profecto si homines, sodalitatibus religiosis addictos, si Episcopos, iudicia exercentes criminalia, conspexerimus, quomodo quaeso affirmari potest, ecclesiam non sitire sanguinem? Nec est, quod aias, istam iudiciorum criminalium agendorum potestatem datam Clericis esse a Praesule Romano, si per alios eandem exercent. Quodsi enim sanguinem sitire, si sanguinem fundere non licet Clericis, ut causae physicae, certe nec licebit iisdem, ut causae morali, quae per Substitutum heic agit. Simili utitur CRAGIVS, quod refert LVDEWIGIVS in Diff. de Clerico successionis in Feuda secularia exule p. 7. ubi ait, perinde hoc esse, ac si quis furem excuset, quod non ipse, sed eius Substitutus ex eius mandato, consilio & ope furtum fecerit. Et sane in iure, quae per se facere non potest, per alium posse non videtur, & quod principali prohibitum est, & ejus Substituto.

§. 44.

Ultimo tandem loco crudelitas quoque fori poenalis inquisitorum romanorum paucis nobis demonstranda est. Exerit se ista I.) quidem in eo, quod nulla inter delictum & poenam aequa & iusta heic observatur proportio. Ecquis enim non videt, supplicium capitale, speciatim atrocissimum vivicomburium, aliaque violentiae enormis genera neutiquam respondere errori simplici, ex ignorantia ut plurimum orto, & humanae societati innoxio, nec ei sceleris nomen imponi, & supremum supplicium decerni posse, sine manifestissima iniustitiae & crudelitatis nota? Agnovit sane ipse PHALARIS, crudelissimus, uti eum CICERO vocat, Agrigentorum tyrannus, invitum (quale quid est, quod a mera ignorantia oritur,) aequis iudicibus dignum existimari. Ponamus etiam, (quod subinde fieri haud diffitemur,) cum

rent, Verum nec ex altera parte defuerunt viri cordati & graves, qui ostendere conati sunt, Augustino tam crudam atque crudelem mentem haud fuisse, sed illius verba tum a pontificiis, auctoritate tanti viri turpiter abutentibus, tum ab aliis quoque perperam esse intellecta. Hisce praeter alios calculum suum adiecit b. WEISSMANNVS in hist. eccles. T. I. p. 464.

22) De hocce canonistarum dictorio binae recentiori aevo prodierunt pereruditae dissertationes, quarum altera CHRISTIAN. DE NETTELBLADT, Ictum olim Gryphiswaldensem, nunc camerae imperialis perillustrem adsefforem, altera vero B. Dn. Cancellar. PEAFFIYM auctorem agnoscit.

cum errore intellectus pertinacem quandam malitiam esse conjunctam; an propterea delictum mentis poena corporali eaque omnium gravissima vindicandum putabimus? Religionis praeterea ius non intercedit homini cum homine, sed versatur inter Deum & hominem, neque adeo simplici sententiarum, ad religionem spectantium, diversitate ullum ius, quod hominibus competit, vel laeditur vel imminuitur. Iniustissimum proinde est, si supplicium capitale haeretica, quam vocant, pravitate infectis decernitur, quod iis duntaxat delictis, quae publicam societatis humanae tranquillitatem turbant, debetur.

§. 45.

Patet vero II.) immanis Inquisitionis pontificiae crudelitas cum primis quoque ex ejusdem modo procedendi, quem supra (§. 18.) breviter delineavimus. Procedit enim Inquisitionis tribunal non tantum contra *heresiarchas* aut haereticos manifestos atque impenitentes, sed et contra haereseos vel leviter *suspectos*, licet ea nulla probari queat ratione, aut delati ad iudicem haeresin constanter negaverint. Adiungimus iis, quae l. c. diximus, quae PHIL. LIMBORCHIVS, scriptor de hoc argumento valde moderatus, a se annotatum dixit in *fragmentis inquisitoriis*, abs se editis, fuisse accusatos negatae omnino resurrectionis corporum, qui tamen de natura & qualitate corporis resurgentis duntaxat disputaverint. Atque huius generis plura allegari heic possint exempla, a Petro IVRIAEO, Iac. BASNAGIO, aliisque adducta, qui & ad consensum & confessionem MABILLONII, DACHERII aliorumque celeberrimorum ecclesiae romanae scriptorum subinde provocarunt. Nec praetermittere heic possumus, quod summam omnino arguit iniustitiam, in hoc foro eiusmodi etiam testes admitti, qui ipsa lege ab omnibus aliis iudiciis sunt exclusi, veluti excommunicati, periuri, domestici, infames &c. Ut iam non commemoremus, quantopere contra omnem humanitatem & iustitiam peccent inquisitores, qui reos dirissimis tormentis ob levem causam subiiciant, in quibus etiam innocentes cogit mentiri dolor. Copiosius haec aliaque enarrarunt, iniquitatemque inquisitionis pontificiae denudarunt, praeter LIMBORCHIVM, quem saepius iam laudavimus, PHILIPPVS MORNAEVS in *Mysterio iniquitatis*, IOH. HENR. HEIDEGGERVS in *Hist. Papatus*, IO. BALTHASAR BEBELIVS, qui libellum academicum de hoc argumento edidit, aliique, quorum indicem satis amplum dedit Ven. IO. GEORG. WALCHIUS in *Biblioth. Theol. selecta* T. III. p. 737. sq. & FABRICIUS in *luce evangelii* p. 576. - 577. Nec defuerunt in ipsa ecclesia romana viri graves, qui tyrannidem hanc religiosam sunt detestati, a) atque abrogationem inquisitionis, prout ea in ecclesia romana exerceri solet, serio optarunt.

a) Nonnullos eorum indicavit HEIDEGGERVS in *Dissertat. de conversione violenta errantium*. §. 54. Haec ipsa dum scribimus, in manus nostras labitur libellus Germanico sermone conscriptus, nec lectu indignus, cui index: *Rechtmaessige Vorstellung, wie höchst nöthig es sey, die eingeführten und so wohl Ibro Röm Kayserlichen und Königlichen Catholischen Maiestaet Landes-Eürstlichen Gewalt und Authorizaet überaus nachtheilige, als auch derer getreuesten Unterthanen in Italien sehr beschwerliche abusos S. Officii Inquisitionis abzuschaffen*, 1723. 4



DOCTISSIMO

DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI


S. P. D.

PRAESES.


Qui haud ita pridem libello elegantissimo, germanico sermone exarato, abunde comprobasti, TE in litteris elegantioribus haud perfunctorie esse versatum, novo iam specimine atque pererudita, quam oculis legentium heic sistis, dissertatione profectus TVOS, quos non tantum in historia sacra atque litteraria, sed & in ipsa doctrina sanctiori fecisti, luculenter demonstras. Lubens itaque meritoque calamum arripio, TIBI que de duplici eximia eruditionis TVAE specimine ex animo gratulor. Adfundat, ita precor, supremum in caelis Numen studiis TVIS prorsus egregiis porro amplissimam ex alto benedictionem, eademque in civitatis christianae nec non reipublicae litterariae emolumentum vergere sinat! Atque ita vale, AMICE AESTVMATISSIME, Deoque a me commendatus vive feliciter. Dedi Tubing. d. XXX. Oct. MDCCLXVI.



1060. COTTA, JOHANN FRIEDRICH [Praes.]: Dissertatio historico-theologica de Inquisitione ad extirpandos, quos vocant, haereticos in Ecclesia Romana instituta, quam praeside Iohanne Friderico Cotta ... publice defendet die [?] octobr. A. MDCCLXVI Avctor M. Io. Gottlieb Steeb, Nirtin-gensis, ...
Tubingae: Litteris Schrammianis, (1766).
47, (1) S., 8° (20 cm).
Expl.: Berlin DSB — Luxemburg. Samml. v.d.Vekene — New Haven, Yale UL.
¶ Chevalier: Topo, I: 1509 — Kulcsár, 296 — Vekene, n° 486 — NUC:NC.0734908.



FUNDACION UNIVERSITARIA SAN PABLO CEU



7072858

Biblioth. E. v. d. Vekene

Signatur : I.80.2511

Inventur : Juni 1980

Standort :

